SONETO.

AQui, donde à las luces de tu Oriente
Les hace ocaſo eſta Laguna fria,
A gloria de tu nombre diſcurria,
AMALIA, con cien alas diligente.
Aqui me hallaba, quando derepente
No sè que triſte voz me parecia,
Que en lo interior del alma me decia
Muriò la Emperatriz del Occidente.
Què haria tu Fama? Qué? Deſatinada
Plegue las alas, y detuve el vuelo,
De mi pereza ſuma avergonzada.
Yo te di à conocer en eſte ſuelo.
Si; peroqué e hicen eſſo? Poco,
ò nada.
Lo mas hiciſte Tù, volando al Cielo.

John Carter Brown
Library
Brown University

Reco-

Del Convento de San Diego.

1762.

El de la Euchariſtia nos lo dió el celebrado Pulcharelli.

Regius hoſpes adeſt.

TRACTATUS
THEOLOGICUS,
CANONICUS, MORALIS
IN DUPLICEM
CONSTITUTIONEM APOSTOLICAM
SS^MI. IN CHRISTO PATRIS
BENEDICTI XIV.
EDITAM
adversus Confessarios Solicitantes ad turpia: adversus falsò Denuntiantes innocentem Confessarium: & adversus Confessarium Complicem in peccato turpi, atque inhonesto contra Sextum Decalogi Præceptum.

AUTHORE

PATRE Fr. MICHAELE HIDALGO, Mexicano, ex Minoribus Discalceatis S. P. N. Francisci, in hac Alma Novæ-Hispaniæ Provincia, S. Didaci de Mexico nuncupàta: Lectore utriusque Sacræ Theologiæ, olim Scholasticæ, nunc Moralis.

Cum Licentiis Necessariis
Mexici: ex Sacrorum Librorum Typographia Hæredum Dominæ Mariæ de Rivera, in viâ S. Bernardi.

1762

Pertenece á la Librería del
Convento de S.n Diego de
Mexico.

NOSTRO CHARISSIMO FRATRI
FR. BARTHOLOMÆO DE PERALTA,
Clariſſimo ex-Profeſſori Philoſophiæ,
Integerrimo ex-Deffinitori,
Vigilantiſſimoque
hujus Almæ
Mexiceæ Minorum Diſcalceatricis Provinciæ
Miniſtro Provinciali.

ALiud eſt, conſecrare Templum; aliud eſt Scriptum dicare. Templa diis, Scripta Potentibus conſuevere dicari. Impræſentiarum, ego ex Minoribus minimus, non Architectum, ſed humilem ago Scriptorem. Meritò igitur Potentem inhio, cui hanccine offeram elucubrationem. At, ubi Potens? Circuibo numquid Mexiceam Civitatem, tot illuſtriſſimos inter Po-

Potentes quærens Potentem? Superfluerat labor: quippe otiatur, qui, quod proprios intra parietes possidet, foras exquirit. Nonne tu, Noster Charissime Frater, atque Pater, nonne tu Potens? Optimè quidem. Namque Omnipotentis Dei Providentia, Canonicaque Electione, assumptus cùm fueris, ad munus Provincialatus obeundum, ipso facto constitutus es Potens in universam Provinciam, jubilantibus cunctis. Potentem te dixi: & quidem triplici, qua es redimitus Potentia, nimirum, Potentia ex Divitiis, Potentia ex Viribus, Potentia ex Dominio. Hanc, qua es perpulchrè cinctus, Potentiam triplicem, optimè novere quamvis duntaxàt Latini. Singulas, ut par est, in te laudemus Potentias.

Ex Dict. Eccles. v. Potens.

Potens es in primis, Potentia ex Divitiis. Sacrilegum agerem, si te extollerem Potentem ex Divitiis illis, quibus Mundus fruitur, & quibus â die Professionis solemniter renuntiasti, ita, ut exclamare valeas; *argentum, & aurum non est mihi.* Frueris ergo, adhuc juvenilem agens ætatem, illis Divitiis, quæ verè Divitiæ sunt ex Apostolo, ibi: *divites fieri in bonis operibus.* His, in quam, ab ipso Novitiatu taliter es addictus Divitiis,

Act. 3. v. 6.

Ad. Tim. 1. cap. 6 v. 18.

vitiis, taliter illarum Sapientiæ ſtuduiſti, ut quiveris reſpectivè cum Sapiente vociferari: *præpoſui illam regnis, & ſedibus, & divitias nihil eſſe duxi, in comparatione illius.* Idcircò nulla eſt, ſive ex Theologicis, ſive ex Philoſophicis, ſive ex Regularibus Virtutibus, qua pollere non propoſuiſſes ab ipſo in Religionem ingreſſu. Hæ tuæ pro vitæ tempore toto peculiares, ac unicæ Divitiæ: Fides, Spes, Charitas, Prudentia, Iuſtitia, Fortitudo, Temperantia, Obedientia, Paupertas, Caſtitas. Longam intrarem Provinciam, ſi ex recenſitis Virtutibus cuilibet tribuerem, quod Iuſtitia exigit encomium: laudent te opera tua ipſa.

Item es Potens, Potentia ex Viribus. Sed Vires unde? Sanè ex Fortitudine, & quidem quoad utrumque Fortitudinis actum, ſcilicet, tàm patienter ſuſtinendo mala, quàm magnanimiter aggrediendo difficilia. Nam cùm omnia tempus habeant, nec ullus hominum obtinuerit privilegium contra temporis viciſſitudinem: dùm nimbi tempus contigit, vel ſediſti ſolitarius, & tacuiſti; vel viriliter faciem difficultati obtuliſti. Utrumque autem, nec ex vana acquirenda gloria, nec ex novo obtinendo glorioſo

rioso nomine, es operatus; sed omnimodè motivo unico honestatis. Hinc Pijssimus ille, qui vel intimiora cordis intuetur, & qui consolatur humiles, Pater communis Deus, inclinavit Cœlos, & descendit in tui solamen. Reverà Herculeos fuisti aliquando passus labores: at Hercule felicior, sive patienter sustinens, sive aggrediens magnanimiter, omnia superasti. Accessit munus Provincialatus obeundum, cui digniссimè incumbis: & ecce novos labores non Herculeis minores. Quàm sit difficile, rectam ducere gubernationem, Deo placentem, ac simul gratam hominibus, optimè scis ex Philosophis, ex Theologis, ex Patribus. Enimverò, Sacro Numine flante, ita Ministerium tuum imples, ut melior Apolline, Provinciam totam velut benè sonantem Citharam manu teneas. Nemo te dulcior, nullus te observantior: ac proin, suaviter, & fortiter omnes nos trahis ad Perfectionis augmentum.

Es denique, Potens Potentia ex Dominio. Non ex illo, quod Sæculi ostentant Potentes, & quod Iura vocant Dominium Proprietatis. Nil certè tibi unquàm novimus proprium, postquàm Evangelico ductus Spiritu, omnia reliquisti:

quisti: quin potiùs toto Religiosæ vitæ decursu illud pro luce habueris Oraculum, ac Seraphici Parentis Præceptum: *Fratres nihil sibi approprient.* Es autem Potens ex Dominio illo, quod dicunt Iurisdictionis. Adeò, ut Iure expresso, utpote Superior Major Provinciæ, Iurisdictione fungaris quasi Episcopali, ex cap. *Abbates, de Privilegiis*, in 6. Cæterùm, etsi tanta, ac tam excellente polleas Authoritate, nil differs â Servo, cùm sis Dominus nostratum omnium.

Ex Sct. Reg. cap. 6.

Habes igitur, venerande Pater omnigenam Potentiam, qua veluti de Iure exigas tibi hoc meum Opusculum. Habeo & ego, quanto egeo, Potentem, cui Libellum offeram, lubens, ac libens. Porrigas igitur dexteram tuam, & munus teneas oblatum. Intereà, Astra videas propitia, vitam agas incolumem, illamque numeret ævum. Vale, Pater permagne, fave, atque fove.

Provolutus in genua tuos oscu-
latur pedes,
Tuus obsequentissimus, & ad-
dictissimus Subditus,

Fr. Michaël Hidalgo.

APPROBATIO
R. P. FRANCISCI XAVERII LAZCANO
è Societate Jesu, Doctoris Theologi, Sanctæ Inquisitionis Qualificatoris, atque Eximij Doctoris publici Professoris in Regia, ac Pontificia Mexicea Universitate.

Excme. Domine.

JUSSU Excellentiæ vestræ reverenter compulsus, legi Tractatum Theo-canonicum in duplicem Constitutionem Apostolicam Benedicti XIV. sanctæ memoriæ â Reverendissimo P. Fr. Michaële Hidalgo è Familia Minorum strictioris Observantiæ utriusque Theologiæ Scholasticæ, & Moralis Mrô. præclarissimo affabrè perpolitum. Opusculum plane eruditum, concinnum, elegans; è limpidioribus juris canonici fontibus, & Doctorum Sententijs ubique apud sapientes receptis, & celebrioribus expressum; ambitiosa verborum commendatione non eget, sed quâ publica luce dignum protinus existimo: ut in Ecclesiæ ornamentum ubertim effluat doctrina, integerrimæ Pœnitentiæ Sacramenti praxi perutilis. Nec lustro in universo folio, quid præjudicans fidei orthodoxæ, rectis moribus, aut Nostræ Catholicæ Maiestatis juribus præminentibus. Ita censeo, salvo meliore. Mexici in Colegio Maximo SS. AA. Petri, & Pauli Societatis JESU, die 10. Novembris anni 1761.

✠
IHS.

Franciscus Xaverius Lazcano.

AP-

APPROBATIO
R. P. JOSEPHI DE EL CASTILLO
ê Societate Jesu, Sacræ Theologiæ Primarij Professoris in Maximo Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli Mexicano Collegio.

Illme. Domine.

DEcreto Dominationis vestræ mihi quidem gratissimo, suaviter adactus legi Tractatum Theo-Iuridicum in duplicem Constitutionem Apostolicam Sanctissimi Domini nostri Benedicti XIV. â Reverendo admodum P. Fr. Michaële Hidalgo, ê Familia Minorum strictioris Observantiæ, utriusque Theologiæ Scholasticæ, & Moralis Magistro Præstantissimo apprime elaboratum, & censeo, opus esse valde utile Confessarijs, qui hac in re, de his ve decretis, utpote noviſſime emanatis, doctrinam desiderant, sanamque exambiunt explanationem. Eam enimvero Author graviſſimis firmat fundamentis, & DD munit opinionibus in Ecclesia receptis, iurisque Deciſſiones, ea versat dexteritate, ut neque â Pontificia recedat mente, neque ullum profecto suspicioni relinquat locum. Eam obrem, si de opere loquar, Illud nedum proficuum, verum & necessarium ad praxim Sacramenti Pœnitentiæ, atque omnibus, ut aiunt, numeris absolutum pronunciabo. Si vero de Authore, illud in mentem, calamumque venit: *Opus laudat Artificem*: neque alio sane eget Testimonio, ut illum idemtidem omnes, quotquot volumen legerint, optime de re litteraria, & præsertim morali meritum proclament. Quæ cum ita sint, iudicem, & nullis, aut fidei nostræ Catholicæ Statutis, bonis utique moribus, aut Regiæ Maiestatis iuribus vel minimum offenderim, quod adversetur verbum, publica demum luce dignum existimo. Ita censeo, *Salvo meliore*, &c. Mexici in hoc Maximo SS. AA. Petri, & Pauli Collegio Societatis Jesu, die 19. Februarij anni Domini 1762.

✠
IHS.
Josephus del Castillo.

APPROBATIO
R.P.Fr. JOSEPHI EUGENII VALDEZ
ex Minoribus Discalceatis S.P.N. Francisci, Lectoris Theologi Primarij.

Chariss. Frater Noster Minister Provincialis.

HOccine Opus, cui titulus: *Tractatus Theologicus, Moralis Canonicus, in Bullas SSmi Domini nostri Benedicti Papae XIV* huius nominis; missum per te ad me: Omni, qua potui, attentione legi, iterumque legi, & tertio tandem perlegi, semperque utilis, iucunda, & placidissima mihi lectio adparuit. Prius, siquidem, seu prima vice legi, *cum ad me dictum est Verbum absconditum, & quasi furtive suscepit auris mea venas susurri eius*, ut Jobi emphasi loquar; nimirum, quando Viros quosdam audivi de hoc opere fabulantes. Tunc iucundo horum fratrum meorum delectabar rumore, quo mihi anuntiabant, quod in nostro Stigmatizati Parentis S. Francisci Apostolico Collegio de Pro-paganda fide de Pachuca laborabatur â Chariss.mo Fratre meo Michaële de Hidalgo. Utriusque Theologiae Speculativae, videlicet, & Ethicae Sacrae, sive moralis dissertissimo Lectore. Audiebam, enim, illos, & quotidie voces suae tinniebant aures meas, in ipsorumque labijs attente legebam, quae in codicibus continebantur: desiderioque desiderabam, ut tandem aliquando publicam videret lucem.

Job. c. 4. ℣. 12.

Accessit tandem plenitudo temporis, & venit volumen volans, tuncque illud legi secundo: quia legi in ore aliorum gravium virorum, qui eructantes verbum bonum, verbum cordatum, verbum sapientae plenum, encomiasto ore adplaudebant laborem utilem, calamumque praepolitum Authoris doctissimi Hidalgo. Sic audivi, & legi in Viris Religiosis huiusce Conventus, aliàs doctissimis. Pervenit demum ad me, meaeque manus contrectaverunt illud, dum iam praelo sudare destinabatur. Et sicut audivimus, sic vidimus Quid ergo post has probationes dicemus? Quid ego advena, & peregrinus, nedum in materie ista nova, in qua Benedictus Magnus non solum confirmat Constitutionem Gregorij XV. sed omnia, & singula, quae prodierunt decreta contra Confessarios Solici-

tan-

tantes; insuperque praecipit plura, quae antea non erant decreta. Quod ergo iudicium? Quae censura? Quae probatio exire potest à me, in hac, & in omnibus alijs materiebus omnino nescio? Nulla certe *Nam frustra ponitur ad censuram liber, qui tantis titulis approbatus manet*, aiebat quondam Cassiodorus. Et maxime, quia nollo, quod insciticiae meae Opacitate clarum hoc tenebrescat opus. De quo proferre non abnuo, quod quidam canebat aliud commendans:

Cassiod. Lib. 7. Epist. 9.

Thesauros pandit liber hic pretiosa Sapellex.
Doctrinae gemmis pagina nulla caret.
Conditur hic aurum, flammis carbunculus ardet,
Atque adamas claro saepe nitore micat

In Approbatione operis contra Alcoranum.

Sed si suavi fortitudine compellor dicere, iucundove Praesulis iussu allicior effari; dico, quod legi opus hoc eruditum, perdoctum, graphice picturatum coloribus Sacrorum Canonum, Pontificalium Sanctionum, quaestionum Theologicarum, omnigenaque utriusque Sophiae Sacrae ratiocinatione laboratum, atque refertum. Legi illud. Nec amplius dicere queo. Quia si (teste Calepino) legere est oculis scripta percurrere: quoniam litterae oculis legi, idest, colligi videntur; egomet avidissime cucurri in siti, qua aestuabar hunc librum videndi. Accepi illum meas inter ulnas, totum evolvi. Introspexi gratanter, & oculis gratulationis, atque iucunditatis, litteras omnes, quibus compaginatur, percurri. *Tanta autem dulcedine me tenuit*, (dico cum Seneca) *Ut illud sine ulla dilatione perlegerim.* Tuncque oculis, & auribus percipiens acoluthiam, syntaxim, compaginem, harumque lucubrationum structuram, primo, secundo, ac tertio legi, potius dicam, syllabicavi: quia tunc vidi tot, tamque pulchras litteras directas ad veritatis inveniendae sedulum studium: ad genuinum, Apostolicarum sanctionum, quas ennodandas accepit, sensum rimandum: ad scrutandam supraemi Capitis Ecclesiae mentem veriorem. Vidi conamina, & studia; sententiasque ad examinis districtissimi regulatam moderationem inspexi. Signum evidens, quod noster nudipes Author Hidalgo Apostolicas Bullas, Canones Sacros, Scriptores doctos, & benemeritos sedulo evolvit, adivit, atque consuluit: ut sic, quod intus habebat alta mente repostum, opere exarato manifestaret: exteriusve luci exhiberet operam, quam zelo verae doctrinae, animo conceperat

Calepin. Verbo lego.

Senec. Ep. 46.

Apoſtolico; & ſic, quod foris oſtenditur, intus á mercede non vacuetur. Pro ſua tuenda ſententia validas depromit rationes, contraria obſipans argumenta, mire ſplendeſcens Authoris ingenium tam propugnando ſua, quam adverſantia impugnando.

Teſtem advoco librum hunc, qui index eſt animi Authoris, & abſtruſae mentis linguatus interpres: nam ut verum fatear, palam inveni, quod ſaepe ſaepius apud memetipſum tacitus conſiderabam, nimirum, id quod aliquando dicebat Ennodius: *Ego in paginis ſpeculum puto eſſe conſcientae*, quia nobis oſtentat chariſſimus Frater Lector in paginis huius libri nedum animi ſui conceptus ſolidos, & veros; verum etiam conſcientiae ſuae clariſſimum ſpeculum, in quo, non ſibi ſoli; ſed & alijs proficere volens, relucere facit prudentem criſim tali ordine temperatam, ut nec multum habenas laxet, indulgens plus nimio humanae infirmitati, quo vitia foventur, & homines prope ad exitium ducuntur: nec plus iuſto conſcientias ligat, & torquet; ne fideles magnis, perpetuiſque ſcrupulis miſerrime conficiat. Sed medio tutiſſimus iens, opiniones ſectatur eas, quae proxime, ac practice ſunt probabiles, & proinde intenſive tutiores, derelinquens illas, quae ſolum remote, & ſpeculative probabiles ſunt. Quod, quidem, feliciter conſequutus eſt Author non ſolum hoc in opere, ſed & in alijs lucubrationibus, & litteriſticis curis vigilias repetens, noctesque complures trajiciens inſomnes: & quod magis mirandum eſt, quod hoc efficiat infirma ſemper, & aegra valetudine. Sed animi ſui robur adparet tam conſtans, ut potens ſit in doctrina ſana nyctalopes illuminare, & eos, qui contradicunt arguere, non tantum unius, & alterius Theologiae rationibus, verum, & Juris utriuſque textibus ſelectis. Hoc meum quale quale de opere, & de eiuſdem Authore iudicium. Multas, & iuremeritas laudes continui in ſinu meo, ut Religioſitati ſuae minime faciam iacturam, nec adulationis naevo videar inquinari. Dico, quod ſenſeo, & in hoc non laudo: quia alias apponere laudes praeter illas, quas opus ſecum portat, eſſet in ſilvam ligna conferre, occeano aquas adjicere, & (inſtar puerorum) ad Sabuloſum littus, arenarum micas, ad luſorias turriculas erigendas comportare.

Ennod. lib. 3. Epiſt. 30.

Maxime, vero, Authorem laudo in cordatiſſimo

ino Macenatis eligendi concilio. Propter hoc laetatum est cor meum, & exultavit lingua mea Dicat Opus suum Lector noster Charissimus Charissimo fratri nostro Bartholomaeo de Peralta, qui huiusce Provinciae gubernacula possidens Mystarches salutatur. Huic ergo Praesuli, qui es tu, charissime frater noster, sacrat opus. Nec alibi locandum iudicarem, nisi sub auspicijs tuis: quia si semper peculiari dilectione te prosequutus est Author; potiori iure exhibiturus erat haec specimina amoris nunc, quando in libro ad communem lucem satagit pervolare. Nec alium inhumanis debebat adclamare Patronum, quam te, qui humanitatis viscera plena ostendis, qui amoris maximi notis inscriptum legimus cuncti Hoc ita est, quia bona voluntate posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso; gloriam, & magnum decorem imposuisti super eum.

Sed nunc mihi sese offer ratio mirandi, insimulque inquirendi: unde venit hic liber? Ex Collegio Apostolico de Pachuca, scio. Ex Pachuquensi plaga? Ex fodinarum Regio solo, unde locuplex auri, & argenti pondus ad hanc Mexicanam Urbem comportare videmus? Unde metallorum pretiosorum onera quotidie cernimus in monetariam domum intrare? Ex Civitate, & loco cuius viscera aurum tantummodo generant, & argentum; ibi generatur, & in lucem erumpit liber, volumen, codex? Ex eodem solo nunc papyraceum pondus, scilicet, liber egreditur, & venit? Ita certe. Sed onus est, nec ex terrae visceribus, nec ex fodinarum latibulis natum. Ex nobiliori, siquidem latomia, ex lapidicina locupletiori abscissus est lapis iste pretiosus, liber, nempe, Lectoris Hidalgo; excissus est, enim, ex Apostolica lapidicina S. P. N Francisci de Pachuca: seu potius in argenti fodinis de Pachuca existit latomia, unde excissus est pretiosissimus lapis operis huius: quia ibi degens Charissimus Lector Hidalgo in ipso, & cum ipso est locupletissima vena scientiae, fodina litterarum, Canonum Sacrorum, & Doctorum gravium scaturigo. Nemo ergo miretur, si ex tali solo hocce egrediatur opus aureum, argentum. Ex Collegio Apostolico de *Pachocan* venit: quia ibi conceptum, & genitum fuit. Et eo ipso, quod in *Pachocan* conceptus sit liber, typis est demandatus: quia ortum habere in *Pachocan* idem est, ac nasci in praelo. Nam, teste Sapientissimo nostro Excalceato, Eximio Medi-

Fr. Balthassar de Medina Chronica de S. Diego.

na

na huius Provinciae, & novi huius Orbis fulgentiſſimo jubare, haec vox Mexicanorum *Pachocan* ſignificat idem in ſua Ethimologia, quod *lugar de aprenſar*: ergo ſi hoc opus, ſi hic liber conceptus eſt in *Pachocan*, quis ibit inficias, quod eſt deſtinatus praelo â nativitate? Ego, enim, minime inficiabor: cum palam profitear, & ſemper clamabo in toto corde meo, quod dignum eſt titulis mille, ut Calcographis committatur opus, quam citius. Dignum eſt praelo propter conceptionem ſuam, propter nativitatem ſuam, propter zelum Authores ſui, & demum propter dedicationem ſuam: quia in ea reſplendet cordatiſſimum genium Lectoris, qui optime novit, quod tu laetis luminibus, hilarique conſpicis facie fructus Minervae, uti praeſens opus: nam opus litteriſticum melius eſt tibi, quam opes: & divitias nihil eſſe ducis in comparatione illius, & tanquam lutum aeſtimatur â te argentum in conſpectu illius. Ideo veluti Thetaurum divitem hoc opus intueris, nec illud abſcondere ſinis, ſed palam facere pene iubes, ut ſuae doctrinae radij luceant in opere felici elaborato Minerva. Unde ſi tot titulis benemeritis dignum eſt opus praelo, ſuper fluens mea eſt probatio. Cenſura non eget, ſed encomijs; nec iudicium poteſt ferri, niſi iuſtificatum, niſi bonum. Ideo loquens cum Authore de hac lucubratione dico, quod alteri Amico Seneca dicebat: *Tu nunc in Provincia, licet contemnas ipſe te, Magnus es.* Nam tali fruitione iucundabar dum opus legebam, quod mecum metipſo fando, per ſingulos dies benedicebam Dominum, & meo gratulabar Fratri uſurpans, quandoque Verba S. Paulini ad S. Auguſtinum ſcribentis ſic: *Vides, Frater unanime, quam familiariter agnoverim te, qui quotidie colloquio litterarum tuarum fruor, & ſpiritu oris tui Veſcor.* Dixi, quod iudicavi, & quod in toto Opuſculo nihil inveni contra Orthodoxam fidem, nec contra bonos mores, nec contra honorifica iura Maieſtatis catholicae. Itaque typis mandetur, ſalvo meliori iudicio. Datum hac in S. Didaci Mexicana Aſceteria, die 29. Martij anni 1762.

Senec. Epiſt. 43.

Epiſt. 41. S. Paulin. ad S. Aug. 1.

Tuas Oſculatur Manus
Humilis Subditus, & Filius

Fr. Joſephus Eugenius de Valdez.

Fr.

Fr. BARTHOLOMÆUS DE PERALTA *Ordinis Fratrum Minorum Strictioris Observantiæ reformati, ex-Definitor, ex-Diffinitor, & ex-Minister Provincialis hujus Almæ Provinciæ Sancti Didaci Nudipedum de Mexico. Dilecto nobis in Christo Fratri Michaèli de Hidalgo præfatæ Provinciæ Filio, olim Artium, nunc vero Theologiæ Moralis Lectori salutem in Domino sempiternam.*

CUM nobis retuleris, te elaboratum habere opus, cui titulus est, Tractatus Theologicus Canonicus moralis, &c. & ut typis mandetur licentiam á nobis postulaveris. Nos pro muneris nostri ratione, publicæ consulentes utilitati, prædicti Tractatus examen Charissimo Fratri Joseph Eugenio de Valdez nostræ Provinciæ Sacræ Theologiæ Vespertino moderatori commisimus; cujus præhabita, & inspecta approbatione, virtute præsentium manu, & nomine meo subscriptarum, minori nostri Officij Sigillo munitarum, atque per nostrum Secretarium roboratarum, petitam tibi impertimur facultatem, servatis tamen in reliquo omnibus de jure servandis. Datis in hoc nostro Sancti Didaci Mexicano Cænobio die 7. Mensis Maij Anno Domini 1762.

Fr. Bartholomæus de Peralta
Minister Provincialis.

De mandato Nri. Cmi. Ftris. Mtri. Provincialis.

Fr. Joannes de Deo Traspuesto.

LI-

LICENTIA SUPERIORIS GUBERNIJ.

EXCmus. D. D. Joachim de Monſerrat, Creſpi de Valdaura, Alphonſus, Calatayud, & Sans de Lloſa, Marchio de Cruíllas, Eques Gran Cruz, Claviger, Commendator de Montroy, Burriana, & Baylio in Equeſtri Ordine de Montela, Regalium Agminum Metator, Hiſpanorum Militum Præfectus, ac demùm in hoc Novo Orbe Pro-Rex, Gubernator, Dux Generalis, Regijque Senatus Mexicani Præſes, &c. editioni iſtius Tractatus indulſit viſa ſupraſcripta R. P. Doct. Franciſci Xaverij de Lazcano Societatis Jeſu Approbatione. Die 10. Menſis Novembris, Anno Domini 1761.

LICENTIA ORDINARIJ.

D. D. Joſeph Becerra Moreno, Regij Senatus, Mexici Cauſarum Patronus, pro tuendis Sancti Officij Carceratis Defenſor, in Mexicana Academia quondam Conſiliarius, Sacrorumque Canonum Veſpertinus Moderator, nunc vero Decreti Profeſſor, in Regali Collegiata Dominæ Noſtræ Guadalupenſis Doctoralis Canonicus, Metropolitana in Eccleſia Præbenda cohoneſtatus, hujuſque Archiepiſcopatus Vicarius Generalis, &c. editionem hujus Tractatus permiſſit viſa Approbatione præcedente R. P. Joſeph de el Caſtillo Societatis Jeſu, ſubſcripto Decreto Die 19. Menſis Februarij, Anno Domini 1762.

Pro-

Protestatio.

SAnctissimo Patre Nostro Benedicto XIV. in sua Constitutione, quæ incipit: *Apostolici muneris partes*, expressè dicente: *dubitationes quasdam exortas fuisse accepimus, quarum resolutionem privato cujusque judicio relinquendam, minimè existimamus, ne lex incertis conjecturis, & opinionibus jactata, in sensus á nostra mente alienos forsitam distrahatur*, hinc ego, licèt indignus, verè ut Catholicus, semper subjectus pedibus Christi in terris Vicarij, Pontificis Summi, palam profiteor: hunc meum Tractatum esse purè Doctrinalem, quantùm Sacri Canones, & mens Beatissimi Patris Benedicti, permittere videntur. Unde si, leviſſimo quamvis in verbo, â mente Sanctitatis suæ alienus fuerim inventus: corrigi apud Viros Doctos supplex exposco. Illud autem sciant omnes, me nativa ductum ingenij imbecillitate, errare multiformiter posse, inter gravissimas in hoc Opere disputandas difficultates: sed vigilias repetisse nonnullas, & semel, iterum, atque iterum manum imposuisse huic Operi.

Motivum Operis.

VEteranos Confessarios nullatenus respicit hoc Opusculum: quandoquidem, ut sciant, quid faciant, nec me, nec ullo egent auxilio meo. Respicit duntaxat Opus Simplices Sacerdotes: illos,

inquam, qui pro Confessionibus excipiendis nondùm expositi, & approbati sunt; studeant tamen exponi, & approbari. Hos respicit hic talis qualis labor: & quidem ob causam duplicem. Prima est: quia gravissimam Materiam, quam continent præsentes Benedictinæ Constitutiones, necessariò præscire debent Sacerdotes exponendi, ante actum præsentationis: nam Beatissimus Benedictus in sua Constitutione: *Sacramentum Pœnitentiæ*, præcipit Illustrissimis Episcopis, quòd in approbatione Confessariorum faciant, quòd ipsi approbandi Confessarii legant, ut accuratè observent, hanc suam novam Constitutionem, unà cum Constitutione antiqua Sanctissimi Patris Gregorii XV.

Secunda est: quia usque ad hodiernam diem, nullus ex Doctissimis Americanis hunc fuit aggressus laborem ex professo, & sunt in hac Materia aliquæ graves difficultates, has Indiarum partes precipuè respicientes. Non me latet, Reverendiss. P. Joannem Antonium de Oviedo, Americanum ex Societate Iesu, aliqua docuisse circa has Apostolicas Constitutiones: sed hoc fecit tantùm perfunctoriè, ut patet in suo Succo Morali, disp. 2. sect. 9. num. 14.

His de causis laborem arripui, etsi proprias exiles superantem vires. His de causis, in obsequium Nostratum exponendorum Sacerdotum, hoc refero Opusculum. Unde si tu, benevole Lector, ex illis es, accipias affectum, & ores pro me. Vale.

PROE-

PROEMIUM.

BENEDICTUS XIV. Pontifex ter Maximus, Authoritate, Scientia, & Prudentia (triplici in Patria cingatur Corona) duplicem edidit Apoſtolicam Conſtitutionem, pro recta Sacramenti Pœnitentiæ Adminiſtratione. Harum prima incipit: *Sacramentum Pœnitentiæ*, edita die 1. Junii, anno Domini 1741. & Pontificatus ſui anno 1. ſub forma Bullæ. Secunda incipit: *Apoſtolici muneris partes*, edita die 8. Februarii, anno Domini 1745. ac Pontificatus ſui anno 5. ſub forma Brevis. Conſultò dixi: *ſub forma Bullæ*, *ſub forma Brevis*, eò quod Pater Magiſter, & Doctor Diaz, ſæpè in hoc Tractatu citandus, utramque Conſtitutionem appellat *Bullam*. Immeritò tamen, venia ſua. Quod ut liqueat, prænotandum eſt, tùm ex noſtro Minorita Canoniſta celebri Reiffenſtuel tom. 1. in lib. 1. Decret. tit. 2. de Conſtitutionibus, §. 1. num. 19. tùm ex illo valde Practico in ſtylo Romanæ Curiæ, nempe, Doctore Pyrrho Corrado, in ſua Praxi Diſpenſat. Apoſtolicar. lib. 2. cap. 2. num. 9. multipliciter inter ſe diferre Bullam, & Breve, adhuc de ſtylo Curiæ Romanæ.

Differunt enim primo: quia Breve expeditur ſub Annulo Piſcatoris; Bulla, non ſub Annulo Piſcatoris, ſed ſub Sigillo plumbeo. Differunt ſecundò: quia in Brevi, in prima linea apponitur nomen, & titulus Summi Pontificis, his verbis,

v. g. INNOCENTIUS PAPA X: in Bulla, in linea prima apponitur nomen, & titulus his aliis verbis: INNOCENTIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI. Differunt tertiò: quia DATA in Bulla apponitur per KALENDAS, NONAS, ET IDUS, exprimitur ANNUS INCARNATIONIS DOMINICÆ, & plures requiruntur Subscriptiones plurium Officialium: in DATA verò Brevis, nec apponitur Iy ANNUS INCARNATIONIS DOMINICÆ, nec citatur per KALENDAS, NONAS, ET IDUS, nec requiruntur illæ plures Subscriptiones: nam DATA notatur per numerum Ordinalem, v. g. die XV. Maji, aut per numerum Cardinalem, v. g. die 15. Maji, & sufficit unius Secretarii Apostolici unica Subscriptio. His præsuppositis, res melius probari nequit, quàm conferendo ad invicem utramque Constitutionem, infra ad litteram transcribendam.

In prima igitur Constitutione, quæ verè est Bulla, & incipit: SACRAMENTUM PŒNITENTIÆ, postquàm refert Beatissimus Benedictus antiquam Constitutionem Sanctissimi Patris Gregorii XV. editam in forma Brevis die 30. Augusti, anno Domini 1622. illam approbat, & confirmat, simul approbans, & confirmans omnia Decreta, quæ á Congregatione Eminentissimorum Dominorum Cardinalium, Generalium Inquisitorum, prodierunt pro litterali interpretatione prædictæ Constitutionis Gregorii XV. contra Confessarios solicitantes Pœnitentes ad turpia, atque inhonesta: approbans etiam, & confirmans aliud ad idem prælaudatæ Congregationis Decretum, quo (præsente, & annuente Beatissimo Alexandro VII.) fuerunt prohibitæ, & damnatæ duæ Propositiones circa Solicitantes, nimirum, Sexta, & Septima. Deinde: præcipit Dominis Inquisitoribus, & Ordinariis Locorum, quòd postposito omni humano respectu, inquirant diligenter de delicto Solicitationis, & procedant contra quemcumque Confessarium Solicitantem, præcipiens etiam omnibus Confessariis, quòd sedulò moneant suos Pœnitentes, quos noverint fuisse ab aliis Confessariis solicitatos, de obligatione denuntiandi illos; sive Solicitans sit Sacerdos, qui careat Iurisdictione ad validè absolvendum; sive Solicitatio fuerit mutua inter Confessarium, & Pœnitentem;

si-

ſive Solicitationi Pœnitens conſenſerit, ſive conſenſum minimè præſtiterit; ſive longum tempus poſt Solicitationem jam effluxerit; ſive Solicitatio â Confeſſario peracta fuerit, non pro ſe ipſo, ſed pro alia perſona.

Poſt hæc tranſit Sanctitas ſua immediatè, ad coërcendam aliquorum improbitatem, qui vel odio, vel ira, aut aliorum ſuaſionibus, promiſſis, blanditiis, minis, aut alio quovis modo incitati, innocentes Sacerdotes falsò denuntiant apud Iudices Eccleſiaſticos de vitio Solicitationis ad turpia: ac proinde decernit, quòd quæcumque perſona, committens tale delictum, ſive per ſe ipſam denuntians innocentem Confeſſarium, ſive procurans, quòd id ab aliis fiat, abſolvi non poſſit, excepto mortis articulo, niſi â Sancta Sede Apoſtolica.

Tranſit deindè ſua Sanctitas immediatè, ad ſtatuendum, decernendum, interdicendum, ac prohibendum, ne Confeſſarius Complex excipiat Confeſſionem ſui Complicis in peccato turpi, & inhoneſto, contra Sextum Decalogi Præceptum commiſſo, excepto mortis articulo, & tunc deficiente alio quocumque Sacerdote, qui Confeſſarij munus poſſit obire: extra quem caſum, ſi Confeſſarius Complex audeat excipere talis ſui Complicis Confeſſionem, declarat Sanctitas ſua, Abſolutionem eſſe omninò nullam, & ipſum Complicem Confeſſarium incurrere ipſo facto Excommunicationem Majorem, Seſi Apoſtolicæ reſervatam. Et prætereà addit: quòd Confeſſarius Complex, neque in vim cujuſcumque Iubilæi, nec in vim Bullæ Sanctæ Cruciatæ, nec in vim alterius cujuſlibet Indulti, poſſit excipere Confeſſionem ſui turpis Complicis, eò quòd privatus exiſtat Iuriſdictione, ad validè abſolvendum talem ſuum Complicem. Hæc prima Conſtitutio Benedictina, ſub forma Bullæ.

In ſecunda autem Conſtitutione, quæ verè eſt Breve, & quæ incipit: *Apoſtolici muneris partes*, cum præcipuè in Hiſpania, exorta fuiſſent nonnulla dubia circa primam Conſtitutionem, reſpectu articuli mortis Complicis: & cùm prædicta dubia fuiſſent propoſita ab aliquibus Epiſcopis ipſi Sanctiſſimo Patri Benedicto XIV. pro illorum declaratione: Sanctitas ſua

 decla-

declarat ſuam mentem, decernens: quòd ſi in articulo mortis Complicis in peccato turpi ſolus adſit Confeſſarius Complex cum alio Simplici Sacerdote, tunc hic Simplex Sacerdos debeat excipere illam Confeſſionem muribundi Complicis, & Abſolutionem impertire. Item decernit: quòd ſi tales occurrant tunc circumſtantiæ, quæ nec vitari poſſint, nec vocari poſſit alius Sacerdos, abſque periculo infamiæ, aut ſcandali, qui illam Confeſſionem excipiat, tunc iſte alius Sacerdos cenſendus eſt, ac ſi reverà deficeret: ac proin, poſſe tunc Confeſſarium Complicem, moribundum ſuum turpem Complicem abſolvere, etiam ab illo turpi crimine, in quo fuerunt Complices.

Deinde: monet Complicem Confeſſarium, illum eſſe reum gravis inobedientiæ apud Tribunal Dei, ſi ipſe ſibi voluntariè fingat aliquod periculum infamiæ, aut ſcandali, ubi reverà non ſunt: imò ſciat, teneri ſe, & obligari ad adhibenda opportuna media, ut abſque prædicto periculo infamiæ, aut ſcandali, pateat locus alteri cuivis Sacerdoti, qui illam audiat Confeſſionem. Si autem ipſe Complex Sacerdos, nulla urgente gravi neceſſitate, ſeſe ingeſſerit, ad illam audiendam Confeſſionem, vel ſi negligat de induſtria, adhibere opportuna media, ut abſque periculo infamiæ, aut ſcandali, alius Sacerdos accedat, ad illam excipiendam Confeſſionem: atque ita audeat excipere Confeſſionem talis ſui moribundi Complicis, quamvis hujuſmodi Abſolutio ſit valida, eò quòd non auferatur tunc ab illo Iuriſdictio, ne hac occaſione anima illius moribundi Complicis pereat; decernit tamen Sanctitas ſua, quòd in hoc caſu Confeſſarius Complex incurrat Excommunicationem Majorem, reſervatam Apoſtolicæ Sedi. Hæc ſecunda Conſtitutio Benedictina, ſub forma Brevis.

Ut autem meus Tractatus evadat fundatus verè ſupra firmam Petram: huc appendenda venit ad litteram utraque Apoſtolica Conſtitutio, ut traditur à Reverendo Patre, Fratre Antonio à Sanctiſſimo Sacramento, in Additionibus ad tom. 7. Curſus Salmanticenſis, cap. 6. punct. 4. §. 1. & 2. Utraque ergo eſt thenoris ſequentis.

PRIMA BENENEDICTINA CONSTITUTIO, edita ſub forma Bullæ, die 1. Iunii, anno 1741.

Benedictus Epiſcopus Servus Servorum Dei,

Ad perpetuam rei memoriam.

SACRAMENTUM Pœnitentiæ, quam ſecundam poſt naufragium deperditæ Gratiæ Tabulam, Sancti Patres aptè nuncuparunt, Nos, licèt immerentes, ad univerſi Dominici Gregis Curam ſuperna diſpoſitione vocati, omne ſtudium, & Paſtoralem ſolici-
N. 1. tudinem adhibere tenemur: ne quod poſt amiſſam Baptiſmi innocentiam datum eſt Divina benignitate perfugium, per Dœmonum fraudem, & hominum Dei beneficiis perverſè utentium malitiam, naufragis, ac miſeris peccatoribus luctuoſum evadat exitium, & quod in ſalutem, & curationem animarum á Deo, qui dives eſt in Miſericordia, inſtitutum eſt, execrabili ſceleſtorum quorundam Sacerdotum improbitate, in earum perniciem, atque interitum vertatur.

Dudum quidem â felicis recordationis Gregorio Papa XV. Prædeceſſore noſtro, per ſuas litteras in forma Brevis, ſub Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, die 30. Auguſti, anno 1622. Pontificatus ſui
N. 2. anno ſecundo, ſapienter proviſum fuit contra quoſcumque Sacerdotes, audiendis Confeſſionibus deputatos, ad turpia, & inhoneſta ſolicitantes: & deinceps ſucceſſivis temporibus, ad earum litterarum interpretationem, ac declarationem, plura ſubinde â Congregatione Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, adverſus hæreticam pravitatem Generalium Inquiſitorum, ſub die 11. menſis Februarii, anno Domini 1661. prodierunt decreta: & â felicis memoriæ Alexandro Papa VII. pariter Prædeceſſore noſtro, in Congregatione Generali Sanctæ Romanæ Univerſalis Inqui-

quiſitionis, die 24. Septembris, anno 1665. coram eo habita inter alias ab Evangelica veritate, & Sanctorum Patrum doctrina alienas, & diſſonas Propoſitiones, Sexta videlicet, & Septima, huc revocandæ, damnatæ, & pro-
N. 3. hibitæ fuerunt. Nos itaque, maturè perpendentes, quanti momenti ſit ad æternam animarum ſalutem, ea ubique exactè obſervari, & quanti ad infirmas Oves curandas, & decorem Sanctæ Eccleſiæ Dei retinendum, interſit, ne aliqui Sacerdotes Pœnitentiæ Sacramento nefariè abutentes, Pœnitentibus pro curatione vulnus, pro pane lapidem, pro piſce ſerpentem, pro medicina venenum porrigant; ſed animo ſecum recolentes, ſe â Chriſto Domino Præſides, & Iudices animarum conſtitutos, ea ſanctitate, quæ ſublimitati, ac dignitati muneris conveniat, tam venerandum Sacramentum adminiſtrent: motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtra, præfatas litteras hujuſmodi, ac omnia, & ſingula decreta prædicta, ad illarum interpretationem, & declarationem emanata, Apoſtolica Authoritate, thenore præſentium approbamus, & confirmamus, illiſque omnibus, & ſingulis inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus: atque etiam, quatenus opus ſit, denuò committimus: & mandamus omnibus Hæreticæ Pravitatis Inquiſitoribus, & Locorum Ordinariis omnium Regnorum, Provinciarum, Civitatum, Dominiorum, & Locorum Univerſi Orbis Chriſtiani in ſuis reſpectivè Diœceſibus, ut diligenter, omnique humano reſpectu poſtpoſito, inquirant, & procedant contra omnes, & ſingulos Sacerdotes, tam Sæculares, quàm Regulares, quomodolibet excemptos, ac Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjectos, quorumcumque Ordinum, Inſtitutorum, Societatum, & Congregationum, & cujuſcumque Dignitatis, & Præeminentiæ,
N. 4. aut quovis Privilegio, & Indulto munitos, qui aliquem Pœnitentem, quæcumque perſona illa ſit, vel in actu Sacramentalis Confeſſionis, vel ante, vel immediatè poſt Confeſſionem, vel occaſione, aut prætextu Confeſſionis,

vel

vel etiam extra occaſionem Confeſſionis in Confeſſionali, ſive in alio loco, ad Confeſſiones audiendas deſtinato, aut electo, cum ſimulatione audiendi ibidem Confeſſionem, ad inhoneſta, & turpia ſolicitare, vel provocare, ſive verbis, ſive ſignis, ſive nutibus, ſive tactu, ſive per ſcripturam aut tunc, aut poſt legendam, tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhoneſtos ſermones, vel tractatus temerario auſu habuerint: & quos in aliquo ex hujuſmodi nefariis exceſſibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate, & circumſtantiis, ſeverè animadvertant per condignas pœnas, juxta memoratam Gregorii Prædeceſſoris noſtri Conſtitutionem, quam hîc de verbo ad verbum pro inſerta haberi volumus: dantes etiam, ſi opus ſit, & rurſus concedentes facultatem, ne delictum tam enorme, & Eccleſiæ Dei injurioſum, remaneat, ob probationum defectum, impunitum, jam aliàs præfata Conſtitutione tributam, procedendi cum teſtibus etiam ſingularibus, dummodo præſumptiones, indicia, & alia adminicula concurrant.

N. 5. Meminerint præterea omnes, & ſinguli Sacerdotes, ad Confeſſiones audiendas conſtituti, teneri ſe, ac obligari, ſuos Pœnitentes, quos noverint, fuiſſe ab alliis, ut ſuprà, ſolicitatos, ſedulò monere juxta occurrentium caſuum circumſtantias de obligatione denuntiandi Inquiſitoribus, ſive Locorum Ordinariis prædictis Perſonam, quæ Solicitationem commiſſerit, etiam ſi Sacerdos ſit, qui Iuriſdictione ad Abſolutionem validè impertiendam careat, aut Solicitatio inter Confeſſarium, & Pœnitentem mutua fuerit, ſive Solicitationi Pœnitens conſenſerit, ſive conſenſum minimè præſtiterit, vel longum tempus poſt ipſam Solicitationem jam effluxerit, aut Solicitatio â Confeſſario, non pro ſe ipſo, ſed pro alia perſona peracta fuerit. Caveant inſuper diligenter Confeſſarii, ne Pœnitentibus, quos noverint jam ab alio ſolicitatos Sacramentalem Abſolutionem impertiant, niſi priùs denuntiationem prædictam ad effectum perducentes; delinquen-

quentem indicaverint competenti Iudici, vel ſaltem ſe, cùm primùm poterunt, delaturos ſpondeant, ac promittant.

N. 6. Et quoniam improbi quidam homines reperiuntur, qui vel odio, vel ira, vel alia indigna cauſa commoti, vel aliorum impiis ſuaſionibus, aut promiſſis, aut blanditiis, aut minis, aut alio quovis modo incitati, tremendo Dei Iudicio poſthabito, & Eccleſiæ Authoritate contempta, innoxios Sacerdotes apud Eccleſiaſticos Iudices falsò Solicitationis inſimulant: ut igitur tam nefaria audacia, & tam deteſtabile facinus metu magnitudinis pœnæ coërceatur, quæcumque perſona, quæ excecrabili hujuſmodi flagitio ſe inquinaverit, vel per ſe ipſum innocentes Confeſſarios impiè calumniando, vel ſceleſtè procurando, ut id ab aliis fiat, â quocumque Sacerdote, quovis Privilegio, Authoritate, & Dignitate munito, præter quàm â Nobis, noſtriſque Succeſſoribus, niſi in finæ vitæ, & excepto mortis articulo, ſpe Abſolutionis obtinendæ, quam Nobis, & Succeſſoribus prædictis reſervamus perpetuò careat.

N. 7. Demùm magnoperè cupientes á Sacerdotalis Iudicij, & Sacri Tribunalis ſanctitate omnem turpitudinis occaſionem, & Sacramentorum contemptum, & Eccleſiæ injuriam longè ſummovere, & tam exitioſa hujuſmodi mala prorſus eliminare, & quantùm in Domino poſſumus, animarum periculis occurrere, quas ſacrilegi quidem dœmonis potiùs, quàm Dei Miniſtri, loco eas per Sacramentum Creatori ſuo, ac noſtro, reconciliandi, majori peccatorum mole onerantes, in profundum iniquitatis barathrum nefariè ſubmergunt: nonnullorum Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, & aliquorum in Theologia Magiſtrorum conſilio deſuper adhibito, accedentibus quoque iteratis plurium Epiſcoporum ſupplicationibus, hac noſtra in perpetuum valitura Sanctione, quemadmodùm â pluribus Epiſcopis per Synodales ſuas Conſtitutiones jam factum eſſe novimus, om-

omnibus, & ſingulis Sacerdotibus, tam Sæcularibus, quàm Regularibus cujuſcumque Ordinis, ac Dignitatis, tametſi alioquin ad Confeſſiones excipiendas approbatis, & quovis Privilegio, & Indulto, etiam ſpeciali expreſſione, & ſpecialiſſima nota, & mentione digno, ſuffultis, Authoritate Apoſtolica, & noſtra Poteſtatis plenitudine interdicimus, & prohibemus, ne aliquis eorum extra caſum extremæ neceſſitatis, nimirum in ipſius mortis articulo, & deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confeſſarij munus obire poſſit, Confeſſionem Sacramentalem perſonæ Complicis in peccato turpi, atque inhoneſto contra Sextum Decalogi Præceptum commiſſo, excipere audeat, ſublata propterea illi, ipſo Iure, quacumque Authoritate, & Iuriſdictione, ad qualemcumque perſonam ab hujuſmodi culpa abſolvendam, adeò quidem ut Abſolutio, ſi quam impertierit, nulla, atque irrita omninò ſit, tamquàm impertita á Sacerdote, qui Iuriſdictione, & facultate, ad validè abſolvendum neceſſaria, privatus exiſtit, quam ei per præſentes has noſtras adimere intendimus: & nihilominùs, ſi quis Confeſſarius ſecùs facere auſus fuerit, majoris quoque Excomunicationis pœnam, á qua abſolvendi poteſtatem Nobis ſolis, noſtriſque Succeſſoribus duntaxàt reſervamus, ipſo facto incurrat: declarantes etiam, & decernentes, quòd nec etiam in vim cujuſcumque Iubilæi, aut etiam Bullæ, quæ appellatur Sanctæ Cruciatæ, aut alterius cujuſlibet Indulti, Confeſſionem dicti Complicis hujuſmodi quiſquam valeat excipere, eique Sacramentalem Abſolutionem elargiri: cùm ad hunc effectum, & in hoc caſu nullus Confeſſariùs, utpotè, qui in hujuſmodi peccati, & Pœnitentis genere Iuriſdictione, ut præfertur, careat, & abſolvendi facultate á Nobis privatus exiſtat, habendus ſit pro Confeſſario legitimo, & approbato. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, præſertim quæ nuncupantur Cruciatæ Sanctæ, vel Iubilæi Univerſalis, & plenarii, necnon quibuſvis Eccleſiarum, & Monaſteriorum, & Ordinum quorumlibet, quorum ipſi Sacerdotes fue-

rint,

rint, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & litteris Apoſtolicis ſub quibuſcumque thenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis, etiam motu proprio, aut aliàs quomodolibet conceſſis, etiam iteratis vicibus approbatis, & innovatis: quibus omnibus eorum thenores præſentibus pro expreſſis habentes, hac vice duntaxàt ſpecialiter, & expreſſè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

N. 8. Volumus demùm, ac præcipimus, ut omnes Locorum Ordinarii, tàm præſentes, quàm futuri pro tempore exiſtentes, in approbatione Confeſſariorum, tam prædictam Conſtitutionem Gregorij prædeceſſoris, quàm præſentem hanc noſtram ab omnibus Sacerdotibus approbandis attentè legi, & accuratè obſervari curent, moneantque eos in Domino, atque hortentur, ut ſacrum Miniſterium, ipſorum fidei commiſſum, ſumma animi innocentia, morum puritate, judicii integritate peragant, exhibeant ſe ſemetipſos, ut Miniſtros Chriſti, & Diſpenſatoris Myſteriorum Dei: memores prætereà ſint, ſe locum tenere, ac vices obíre Summi, atque Æterni Sacerdotes, qui Sanctus, Innocens, Impolutus, per Spiritum Sanctum ſemetipſum obtulit Immaculatum Deo, ut emundaret conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, ad ſerviendum Deo viventi: ſedulò igitur ſtudeant, diligenterque caveant, ne quærentibus, & pulſantibus, eorum culpa Cœlum claudatur, ne deperditæ Oves, ad ovile Dominicum reddire properantes, eorum manibus ferarum dentibus dilaniandæ tradantur, ne Prodigi filii egentes, & ſaucii, ad Cœleſtem Patrem revertentes, nefaria eorum improbitate gravioribus peccatorum vulneribus dùm adhuc in via ſunt, confodiantur.

N. 9. Ut autem præſentes litteræ ad omnium notitam faciliùs deveniant, & nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus illas, ſeu earum exempla ad valvas Eccleſiæ Lateranenſis, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum, nec-

non

non Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæque Generalis in Monte Citatorio, ac in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris eſt, affigi, & publicari, ſicque publicatas, & affixas, omnes, & ſingulos, quos illæ concernunt, perindè arctare, & afficere ac ſi unicuique eorum nominatim, & perſonaliter intimatæ fuiſſent: utque ipſarum præſentium litterarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii Publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides, tam in judicio, quàm extra illud, ubique adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Nulli ergo omninò hominum liceat paginam hanc noſtræ voluntatis, ſanctionis, præcepti, mandati, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo, ſeptingenteſimo, quadrageſimo primo, Kalendis Iunij, Pontificatus Noſtri anno primo. Pro D. Cardin. Paſſioneo, Cajetanus Amatus.

Anno á Nativitate Dom. Noſt. Jeſu-Chriſti milleſimo, ſeptingenteſimo, quadrageſimo primo, indictione quarta, die verò decima ſeptima Iunij, Pontificatus Smi. in Chriſto Patris, & Dñi Noſt. Dñi Benedicti, Divina Providentia Papa XIV. anno primo, ſuprà dicta Conſtitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Baſilicæ Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum, Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæ Generalis, in Monte Citatorio, in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis, per me Petrum Righum Apoſtol. Curſ. Sebaſtianus Amadori Mag. Curſ.

SECUNDA BENEDICTINA CONSTITUTIO, edita ſub forma Brevis, die 8. Februarii, anno 1745.

Benedictus Papa XIV.

Ad futuram rei memoriam.

N. 1. APOSTOLICI muneris partes, in procuranda præcipuè rerum Sacrarum pura illibataque penitùs Adminiſtratione, verſari debere, probè intelligentes, non modò, & aſſiduis hortationibus, & juſta, ubi res poſtulat, legum ſeveritate, ut ab Eccleſiaſticis quibuſque Miniſtris Sancta ſanctè tractentur, quantùm cum Domino poſſumus, providere ſtudemus, verùm etiam leges ipſas, ne fortè ſiniſtris interpretationibus in alterutram extremam partem, aut immoderati rigoris, aut deteſtabilis laxitatis, perperàm detorqueantur, opportunè communire, ac roborare, pro earumdem tuendo vigore, cùm occaſio popoſcerit, non prætermittimus.

N. 2. Sanè cùm Nos aliàs per quandam noſtram Coſtitutionem, cujus initium eſt: SACRAMENTUM PŒNITENTIÆ, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo, ſeptingenteſimo, quadrageſimo primo, Kalendis Iunii, Pontificatus noſtri anno primo, editam, omnibus, & ſingulis Sacerdotibus, tam Sæcularibus, quàm Regularibus, interdiximus, & prohibuimus, ne aliquis eorum extra caſum extremæ neceſſitatis, nimirum in ipſius mortis articulo, & deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confeſſarii munus obire poſſit, Confeſſionem Sacramentalem perſonæ Complicis in peccato turpi, ac inhoneſto, contra Sextum Decalogi Præceptum commiſſo, excipere auderet: ita ut Abſolutio, ſi quam impertiviſſet, nulla, atque irrita omninò eſſet, tamquàm impertita á Sacerdote, qui Iuriſdictione, & facultate ad validè abſolvendum neceſſaria, ipſi per Nos vigore ejuſdem Conſtitutionis adempta, privatus exiſteret, & aliàs prout in memorata Conſtitutione, cu-

cujus thenorem præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſo, & inſerto haberi volumus, uberiùs dicitur contineri. Cùm Nos ſubinde ſuper ea dictæ Conſtitutionis parte, quæ mortis articulum reſpicit, dubitationes quaſdam exortas fuiſſe accepimus, quarum reſolutionem privato cujuſque judicio relinquendam minimè exiſtimamus, ne lex incertis conjecturis, & opinionibus jactata, in ſenſus á noſtra mente alienos forſitam diſtrahatur, ejuſque vigor paulatim langueat, atque enervetur: hinc eſt, quòd Nos omnem dubitandi rationem, quantùm cum Domino poſſumus, de medio auferre cupientes, motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ Poteſtatis plenitudine, memoratam Conſtitutionem noſtram cum omnibus, & ſingulis in ea contentis, thenore præſentium, quatenus opus ſit, confirmamus, illamque integrè, penitus, & omninò, atque ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, inviolabiliter, & inconcuſſè obſervari præcipimus, &

N. 3. mandamus. Præterea habita ſuper his cum Venerabili Fratre noſtro Vincentio Epiſcopo Prænestino, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali, Petra nuncupato, Pœnitentiario noſtro Majori, ac dilectis Filiis Officij Pœnitentiariæ Apoſtolicæ Miniſtris, qui rem juſſu noſtro maturè perpenderunt, deliberatione, motu, ſcientia, & Poteſtatis plenitudine paribus, edicimus, & declaramus, eadem Conſtitutione ſingulis, ut ſuprà, Sacerdotibus, quemadmodum interdictum non eſt, in mortis articulo perſonam in prædicto turpi peccato Complicem confitentem audire, atque ab hujuſmodi quoque culpa ritè contritam abſolvere, deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confeſſarii munus obire poſſit; ita interdici re ipſa, & prohiberi prædicto modo, tunc audire, & abſolvere, ut ſi aliquis alius Sacerdos non defuerit, etiam ſi fortè iſte alius Simplex tantummodò Sacerdos fuerit, ſive alias ad Confeſſiones audiendas non approbatus, poſſit nihilominus ipſe Sacerdos Simplex Confeſſionem excipere, & Abſolutionem impertire. Porrò ſi caſus urgentis

N. 4. tis qualitas, & concurrentes circunſtantiæ, quæ vitari non poſſint, ejuſmodi fuerint, ut alius Sacerdos ad audiendam conſtitutæ in dicto articulo perſonæ Confeſſionem vocari, aut accedere ſine gravi aliqua exoritura infamia, vel ſcandalo nequeat, tunc alium Sacerdotem perinde haberi, cenſerique poſſe, ac ſi reverà abeſſet, atque deficeret, ac proinde in eo rerum ſtatu non prohiberi ſocio Criminis Sacerdoti Abſolutionem Pœnitenti ab eo quo-
N. 5. que crimine impertiri. Sciat autem Complex ejuſmodi Sacerdos, & ſeriò animadvertat, fore ſe re ipſa coram Deo, qui irrideri non poteſt, reum gravis adverſus prædictam noſtram Conſtitutionem inobedientiæ, latiſque in ea pœnis obnoxium, ſi prædictæ infamiæ, aut ſcandali pericula ſibi ultrò ipſe confingat, ubi non ſunt: imò intelligat, teneri ſe graviter hujuſmodi pericula, quantùm in ſe erit, antevertere, vel removere, opportunis adhibitis mediis, unde fiat, ut alteri cuivis Sacerdoti locus pateat illius Confeſſionis abſque ullius infamia, vel ſcandalo, audiendæ: ita enim ipſum teneri vigore memoratæ noſtræ Conſtitutionis declaramus, & nunc quoque ita ipſi
N. 6. faciendum eſſe diſtrictè mandamus, & præcipimus. Quòd ſi idem Sacerdos, aut quovis modo, ſeſe nulla gravi neceſſitate compulſus ingeſſerit, aut ubi infamiæ, vel ſcandali periculum timetur, ſi alterius Sacerdotis opera requirenda ſit, ipſe ad id periculum avertendum congrua media adhibere de induſtria neglexerit, atque ita perſonæ in dicto crimine Complicis, eoque in articulo, ut præfertur, conſtitutæ, Sacramentalem Confeſſionem excipere, ab eoque crimine Abſolutionem largiri, nulla, ſicut præmittitur, neceſſaria cauſa cogente, præſumpſerit, quamvis hujuſmodi Abſolutio valida futura ſit, dummodò ex parte pœnitentis diſpoſitiones, à Chriſto Domino ad Sacramenti Pœnitentiæ valorem requiſitæ, non defuerint: non intendimus autem pro formidando mortis articulo eidem Sacerdoti, quantumvis indigno, neceſſariam juriſdictionem auferre, ne hac ipſa occaſione aliquis pereat: nihilominus Sacerdos ipſe violatæ auſu ejuſmodi

teme-

temerario legis pœnas nequaquàm effugiet: ac propterea latam in dicta Conſtitutione Majorem Excommunicationem, eodemque planè modo, quo ibidem decernitur, Nobis, & huic Sanctæ Sedi reſervatam, incurrat, prout illum incurrere eo ipſo declaramus, volumus, atque ſta-
N. 7. tuimus. Non obſtantibus omnibus, & ſingulis illis, quæ in præfata noſtra Conſtitutione voluimus non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut earumdem præſentium litterarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii Publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra illud, ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent adhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annullo Piſcatoris, die Octava Februarii, milleſimo, ſeptingenteſimo, quadrageſimo quinto, Pontificatus noſtri anno quinto. Dominus Cardinalis Paſſioneus.

Hucuſque Benedictinæ Conſtitutiones, vulgò de el Complice nuncupatæ. Circa quas aliqui ex Europa Docti Theologi ſcripſerunt; ex America verò noſtra nullus, quem ego ſciam. Ego autem, ut tantum aggrediar opus clariùs, ac diſtinctiùs, præſentem Tractatum in quinque dividam Diſſertationes. Prima erit: de his, quæ eſſe debent veluti fundamentum Operis totius. Secunda: de Confeſſariis ſolicitantibus ad turpia. Tertia: de Denuntiantibus falſò innocentem Confeſſarium. Quarta: de Confeſſario Complice erga ſuum in turpitudine Complicem non abſolvendum, extra articulum mortis. Quinta: de Confeſſario Complice erga ſuum in turpitudine Complicem abſolvendum, intra mortis articulum. In harum Diſſertationum reſolutione, pro duce in Theologicis eligo noſtrum, non ſatis laudatum Scotiſtam Maſtrium; in Canonicis verò pro luce habebo noſtrum, his temporibus celebrem, Minoritam Reiffenſtuel. Nec immeritò, cùm ſit uterque gloria, uterque decus, uterque ornamentum meæ Seraphicæ Religionis Matris. Quibus jungendos meritò judico, ex his, qui in has

ſcripſere Conſtitutiones Apoſtolicas, duplicem Doctiſſimum Carmelitam, unum ex Obſervantibus, nempe, Fr. Ioſephum Vincentium Diaz; alterum ex Diſcalceatis, nimirùm, Fr. Antonium á Sanctiſſimo Sacramento. Item accedunt jungendi duo Minoritæ, ſcilicet, Pater Redal, & Pater Sanz Lopez, unà cum Doctore Azedo Benitez. Rem igitur ut aggrediamur, aliqua prælibemus, non injucunda.

Notabilia quædam.

Eò quòd Beatiſſimus Pater Benedictus XIV. in his ſuis Conſtitutionibus non rarò utitur his vocibus: *Conſtitutione, Lege, Decreto, Mandato, Interdicto, Sanctione*, operæ pretium judico, de illis aliqua præmittere. Conſtitutio ergo, vi nominis nil eſt aliud, quàm commune Statutum: quippè componitur ex particula *Con*, quæ ſignificat *ſimul*, & ex particula *ſtitutio*, quæ idem eſt, ac *Statutio*, ſive *Statutum*. Accipitur dupliciter, ſtrictè ſcilicet, & largè. Conſtitutio ſtrictè accepta, ſumitur pro Lege, quam Princeps Supremus ſtatuit, ſive conſtituit de Concilio Procerum, ac Senatorum ſuorum, ut habetur leg. *Humanum*, C. *de Legibus*, & Can. 4. diſt. 2. ibi: *Conſtitutio eſt, quod Rex, vel Imperator conſtituit*. Hinc jam communiter pro eodem accipiuntur Lex, & Conſtitutio, ex arg. Can. 3. diſt. 1. ibi: *Lex eſt Conſtitutio ſcripta*. Et Sanctus Anacletus Papa, relatus can. *Leges Eccleſiæ*, cauſ. 3. quæſt. 6. Conſtitutiones Eccleſiaſticas appellat Leges: dicens: *Leges Eccleſiæ Apoſtolica firmamus authoritate*.

Dixi communiter accipi pro eodem Legem, & Conſtitutionem: quia ſtrictiùs loquendo, nomen Legis reſpicit Authoritatem Legiſlativam Principis Sæcularis: ac proin, ejus Statuta propriùs vocantur Leges. Nomen verò Conſtitutionis reſpicit Authoritatem Legiſlativam Principis Eccleſiaſtici: ac proin, ejus Statuta propriùs Conſtitutiones appellantur. Ita docet Reiffenſtuel tom. 1. in lib. 1. Decretal. tit. 2. de *Conſtitutionibus*, §. 1. num. 4. Ratio: quia Princeps Sæcularis immediatè á Populo accepit omnem ſuam Poteſtatem: quocircà, ſicut olim illa, quæ á Populo ſtatuebantur, dicebantur Leges, ita

&

& nunc, quæ ſtatuuntur á Principe Sæculari, appellari congruit *Leges*. At omnis Poteſtas, quam Summus Romanus Pontifex habet, cùm non á Populo, ſed ab ipſo Deo ſit immediatè collata ſibi: hinc aptiùs ejus Decreta appellantur Conſtitutiones.

Conſtitutio largè ſumpta, idem eſt cum Statuto, tam Principis Sæcularis, quàm Eccleſiaſtici Principis: imò & Statuta inferiorum Prælatorum vocantur Conſtitutiones. Hujuſmodi ſunt Statuta Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Capituli Cathedralis, Ordinum Regularium, & ſimilium, habentium Poteſtatem condendi hujuſmodi Leges. Decretum autem, omiſſis aliis acceptionibus, vocatur illud, quod Summus Pontifex ſtatuit de Concilio ſuorum Cardinalium, abſque conſultatione alicujus. Ita Reiffenſtuel, ubi ſuprà, num. 9. cum Fagnano, & aliis. Mandatum non eſt aliud, quàm Statutum, ad Eccleſiaſticam diſciplinam, bonoſque mores pertinens, ut habetur can. *His igitur*, diſt. 23. & cap. *Mandamus*, *de Offic. Archidiac.* Interdictum, quantùm eſt ex ſe, appellatur, quando aliquid prohibetur, abſque impoſitione alicujus pœnæ in tranſgreſſores, ut habetur, can. *Interdixit*, diſt. 32. & docet Reiffenſtuel, ubi ſuprà, num. 13. Sanctio denique econtrà, quando ſcilicet aliquid prohibetur, ſub aliqua pœna impoſita in tranſgreſſores, ex can. *Sancimus*, cauſ. 1. quæſt. 7. Cæterùm, non rarò inter ſe confunduntur Interdictum, & Sanctio: quippe can. *Sancimus*, cauſ. 12. quæſt. 2. nulla imponitur pœna, & initium Canonis importat Sanctionem. Econtrà can. *Mandamus*, cauſ. 19. quæſt. 3. imponitur pœna in tranſgreſſores, & loquitur ſub forma Interdicti. Statim autem notandum: hîc non loqui de Interdicto, prout eſt ſpecies Cenſuræ; ſed de illo, ut ſuprà dicebam, prout dicit prohibitionem alicujus actus. His præmiſſis, ſit

DISSERTATIO PRIMA:

de rebus fundamentalibus hujus Materiæ.

FUndamentales dixi quæſtiones in hac Diſſertatione tractandas, nec immeritò: quandoquidem, ipſis ablatis, tota prorſus rueret Materia, ut conſideranti patebit. Si enim nobis Americanis, vulgò INDIANOS, nulla eſſet obligatio ad obſer-

obſervantiam hujus Benedictinæ Conſtitutionis: ad quid me perdere tempus, & atramentum? Ergo fundamentalis hujus Materiæ quæſtio: utrum nos in his Indiarum partibus commorantes obliget hæc Conſtitutio Apoſtolica? Item: ſi finis hujus Apoſtolicæ Sanctionis non comprehenditur: quomodò media comprehendentur? Ergo etiam fundamentalis hujus Materiæ quæſtio: quem finem habeat hæc Conſtitutio Apoſtolica? Denique: ſi ipſius finis naturam non prænoſcimus, quomodò mediorum qualitatem cognoſcemus? Ergo pariter fundamentalis hujus Materiæ quæſtio: utrum hæc Apoſtolica Conſtitutio ſit principaliter favorabilis, vel principaliter odioſa, vel principaliter utrumque? Sit igitur

QUÆSTIO PRIMA:
utrum hæc Benedictina Conſtitutio obliget pro Univerſo Indiarum Regno, tam in Diœceſibus, ubi eſt ſolemniter publicata; quàm in Diœceſibus, ubi non eſt publicata ſolemniter?

PRæſens gravis difficultas originem trahit ab illa celebri, tam inter Theologos, quàm inter Canoniſtas Controverſia: utrum ſcilicet, Conſtitutiones Apoſtolicæ, ſemel Romæ ſolemniter promulgatæ in locis ibi conſuetis, illicò obligent pro toto Mundo, abſque alia ſpeciali illarum Promulgatione in ſingulis Provinciis, & Diœceſibus? Circa cujus deciſionem magnus exiſtit conflictus, tùm rationum, tùm authoritatum, pro utraque extrema probanda Sententia. Communior enim validè propugnat partem affirmativam; alia negativa Sententia obfirmatè defendente negativam partem. Noſter Reiffenſtuel, ni fallor, aliquantulùm procedit indifferenter, tùm tom. Theolog. Moral. tract. 2. de Legibus, diſt. 1. quæſt. 3. num. 26. tùm tom. 1. in lib. 1. Decretal. tit. 2. *de Conſtitutionibus*, §. 5. á num 118. Advertit tamen, quòd prout attinet ad praxim, attendenda eſt Conſuetudo locorum, eò quòd Conſuetudo ſit optima Legum interpres, ex cap. *Cùm dilectus, de Conſuetudinibus*, & ex leg. 36. ff. *de Legibus*.

No-

Noſter autem Maſtrius tom. Theolog. Moral. diſp. 2. *de Legibus*, quæſt. 4. art. 4. num. 106. & num. 107. mediam defendit Sententiam, docens: quòd attenta Legis natura, ſeu attenta Lege ex natura rei, nullatenùs requiritur, quòd Promulgatio illius fiat in ſola Curia Principis, vel etiam in omnibus, & ſingulis Provinciis, & Civitatibus, pro quibus Lex imponitur: ſed hoc totaliter dependere á voluntate Principum, & Reipublicæ. Attenta verò æquitate, & congruentia, congruentiùs eſt, quòd Supremi Principes publicare faciant ſuas Leges in omnibus Metropolis ſuorum Regnorum, & Provinciarum. Quam Sententiam deducit ex Subtili Doctore noſtro Scoto in 4. diſt. 3. quæſt. 4. §: *ad iſtum articulum*, circa Legem Evangelicam ſic docente: quòd Chriſtus Dominus noluit obligare, ad ſuam ſervandam Evangelicam Legem, ſtatim ac fuit Ieruſalem in Sacro die Pentecoſtes ſolemniter promulgata, omnia Regna Mundi, omnes Provincias, & omnes Civitates: ſed voluit potiùs illa obligare, quando præter illam Promulgationem Ieruſalem factam, ſolemniter iterum promulgaretur in quolibet Regno, in qualibet Provincia, & in qualibet Civitate per ſolemnes Præcones ſuos Authenticos, Sanctos ſcilicet Apoſtolos, juxta illud Pſalm. 18. *in omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines Orbis terræ verba eorum:* & ex illo Matth. 28. *euntes in mundum univerſum docete omnes gentes, ſervare omnia quæcumque mandavi vobis.*

Præterea laudatus Maſtrius, ibidem, num. 108. cum multis diſtinguit obligationem Legis in actu primo, & obligationem Legis in actu ſecundo. Et docet: tunc Legem incipere obligare Subditos in actu primo, quando ſufficienter eſt promulgata, ſive in Curia ſola Principis, ſive in aliis locis: quin ſit neceſſarium, quòd in omnibus, ac ſingulis locis promulgetur. Tunc verò obligare Legem in actu ſecundo, quando ſufficienter ad notitiam Subditorum venerit, ut habetur cap. 1. de Conceſſ. Præbend. in 6. ibi: *Lex, ſeu Conſtitutio, & mandatum, nullos adſtringunt, niſi poſtquam ad notitiam pervenerint eorumdem, aut niſi poſt tempus, infra quod ignorare minimè debuiſſent.* Ex qua Maſtrii doctrina infero, ipſum ſtare pro Sententia affirmativa, ſuprà memorata: quandoquidem hæc

affirmativa Sententia defendit, quòd ſemel facta Romæ ſolemni Publicatione Apoſtolicæ Conſtitutionis, illicò obligat pro toto Mundo, non in actu ſecundo, cùm pro illo inſtante nequeat totus Mundus habere ſufficientem notitiam talis Conſtitutionis; ſed obligat duntaxàt in actu primo.

Loquendo autem circa determinatam Materiam, ac in ſpecie noſtræ Benedictinæ Conſtitutionis, illud in primis eſt certum: hanc Apoſtolicam Conſtitutionem fuiſſe jam examinatam, & approbatam á Regio, & Supremo Caſtellæ Senatu, & per Illmum. Dominum Apoſtolicum Nuntium, reſidentem in Hiſpaniæ Regnis, fuiſſe communicatam Dominis Epiſcopis, & Archiepiſcopis totius Hiſpaniæ: qui quidem illam ſolemniter promulgarunt in ſuis reſpectivis Diœceſibus; & conſequenter omnem dubitandi rationem circa illius obligationem, & obſervantiam, á cordibus Hiſpanorum procùl pepulere. Sic refert Pater Magiſter, & Doctor Diaz in ſuo Confeſſario inſtructo, punct. 19. á num. 159.

Certum eſt item: hanc ipſam Benedictinam Conſtitutionem fuiſſe Mexici ſolemniter publicatam, juſſu Illmi. ac Reverendiſſimi Domini Doctoris D. Emmanuelis Rubio Salinas Archiepiſcopi Mexici, in ſuo ſolemni Edicto pro declaratione Conceſſionis Iubilæi Anni Sancti, ſub data die 21. Iunij, anno 1752. Ita refert R^dus. admodùm Pr. & Dr. Ioannes Antonius de Oviedo è Societate Ieſu, in ſuo Succo Moralis Theologiæ, diſp. 2. ſect. 9. num 8. Sic etiam refert Rev^dus. Pr. & Dr. D. Petrus Ioſephus Rodriguez de Arizpe ex Venerabili Congregatione Oratorij Sancti Philippi Nerij, ad litteram tranſcribens prædictum Archiepiſcopale Edictum, in ſua politiſſima Relatione Caſuum accidentium in celebritate Iubilæi Anni Sancti in Civitate Mexicana. Unde neceſſariò infertur: quòd etiam pro hoc Indiarum Regno fuit examinata, & approbata hæc Benedictina Conſtitutio á Regio, & Supremo Indiarum Senatu: alioquin non fuiſſet Mexici publicata, virtute Privilegij, conceſſi Regibus noſtris Catholicis á Sancta Sede Apoſtolica, quod refert, & de more doctiſſimè explicat D. Dr. Ioannes de Solorzano Pereira, tom. 2. de Iure Indiarum, lib. 3. capit. 25. á num. 42.

Illud

fllud etiam eſt, etſi non certum, valdè tamen probabile: quòd Promulgatio non eſt de eſſentia hujus Apoſtolicæ Conſtitutionis, nec ullius Legis; ſed tantùm Conditio *ſine quanon*, ut dicunt Phiſici. Hæc eſt communis inter Theologos Scotiſtas, ex Doctore noſtro Subtili Scoto in 4. diſt. 3. quæſt. 4. art. 1. Ratio præcipua: quia Lex nequit conſtitui in ſuo eſſe per actualem obligationem, ſed per vim obligandi, alioquin actus ſecundus eſſet de eſſentia rei. Cæterùm, cùm Lex non promulgata, ſit ignorata, & ideo quaſi non data, requiritur applicatio illius ad Subditos media Promulgatione, ut obliget in actu ſecundo: modo quo, ut ignis actu comburat, requirit neceſſariò applicationem ejus ad combuſtibile.

Denique: in hoc Indiarum Regno videtur eſſe antiqua Conſuetudo, quòd Conſtitutiones Apoſtolicæ, adhuc examinatæ, & approbatæ á Regio, ac Supremo Indiarum Senatu, non obligent, niſi priùs ſint in ſingulis reſpectivis Diœceſibus ſolemniter promulgatæ. Hoc ab antiquis audivimus, & per experientiam didicimus. Satiſque deducitur ex ſuprà laudato Succo Theologiæ Moralis, ubi Doctiſſimus Pr. & Dr. Ioannes Antonius de Oviedo, loquens de aliis Smi. Patris Benedicti XIV. Conſtitutionibus circa Iejunium, diſp. 3. ſect. 3. num. 10. ſic ait: *& licèt tam Decreta Pontificia, quàm præfatum Edictum non ſint adhuc Mexici publicata, quia tamen publicari poſſunt, hîc ea exponam.* Quocircà palàm proteſtor, me impræſentiarum nec in minimo opponi huic venerandæ Conſuetudini, prout attinet ad alias Conſtitutiones Apoſtolicas, quæ non ſint illius naturæ, cujus eſt hæc Benedictina Conſtitutio, de qua eſt quæſtio: quin potiùs, Majorum meorum ſequens veſtigia, ſemper ero lingua, ac calamo pro prædicta Conſuetudine. Reſpectu autem noſtræ Benedictinæ Conſtitutionis ſit

Conclusio: Noſtra Benedictina Conſtitutio obligat pro univerſo Indiarum Regno, tam in Diœceſibus, ubi eſt ſolemniter publicata, quàm in Diœceſibus, ubi non eſt publicata ſolemniter: adeò ut illius obligationi, nec obſtet Sententia, defendens particularem Publicationem in ſingulis Diœceſibus, nec obſtet Conſuetudo non obligandi, abſque tali particulari Publicatione in Diœceſibus ſingulis. Ex duplici principali parte coaleſcit Concluſio, diviſim probanda. Pro-

Probatur prima pars, in qua ferè nulla eſt difficultas: ſemel approbata á Supremo, & Regio Indiarum Senatu aliqua Apoſtolica Conſtitutione, ſemelque ſolemniter publicata in aliqua Indiarum Diœceſi: nil ampliùs reſtat, ad inducendam obligationem pro illius obſervantia; atqui Noſtra Benedictina Conſtitutio, & eſt publicata ſolemniter, v. g. Mexici, & neceſſariò ſupponitur approbata á Supremo Indiarum Senatu: alioquin non fuiſſet ſolemniter publicata: ergo. Confirmatur á paritate: ideo omnes Hiſpani tenentur jam ad obſervantiam hujus Conſtitutionis, quia & fuit approbata pro illis Regnis á Supremo Regio Caſtellæ Senatu, & fuit ſolemniter publicata ab Illmis. Prælatis in ſuis reſpectivis Diœceſibus: ergo pariter, quia & etiam fuit approbata pro his Indiarum Regnis á Regio Supremo Indiarum Senatu, & etiam fuit pro Diœceſi Mexicana ſolemniter Mexici publicata, tenentur omnes Americani, ſubjecti Illmo. Archiepiſcopo Mexici, ad obſervantiam hujus Apoſtolicæ Sanctionis. Eodem modo diſcurrendum eſt reſpectu cujuſcumque alterius Diœceſis ex Indiis, ubi fuerit ſolemniter publicata.

Secunda autem Concluſionis pars, in qua tota ſiſtit difficultas, probatur primò ex primo capite, nempe: quòd quin obligationi obſtet Sententia, defendens particularem Publicationem in ſingulis Diœceſibus, tenentur ad obſervantiam hujus Benedictinæ Conſtitutionis omnes in his Indiarum partibus commorantes, etiam in Diœceſibus, ubi adhuc non eſt ſolemniter publicata. Probatur, in quam: prædicta Sententia, defendens particularem Publicationem alicujus Decreti Apoſtolici in ſingulis Diœceſibus, ad inducendam ibi obligationem: ita debet intelligi, ut non exponat periculo nullitatis aliquod Sacramentum Eccleſiæ, ex non obſervantia talis Decreti; atqui ex non obſervantia hujus Benedictini Decreti in aliqua Indiarum Diœceſi, eò quòd ibi non ſit ſolemniter publicatum, exponitur periculo nullitatis Sacramentum Pœnitentiæ: ergo Sententia, defendens particularem Promulgationem Decreti Apoſtolici in ſingulis Diœceſibus, ad inducendam ibi obligationem: nec habet locum in hoc Benedictino Decreto, nec obſtat illius obligationi, adhuc in illis Indiarum Diœceſibus, ubi non eſt ſolemniter publicatum. Major eſt nota omni Theologo.

Pro-

Probatur minor: quoties á Summo Pontifice eſt privatus Iuriſdictione aliquis Sacerdos, etiam ex Indiarum partibus, ad validè abſolvendum aliquod ſpeciale crimen: tunc, ex non obſervantia talis Decreti Pontificij in aliqua Indiarum Diœceſi, eò quòd ibi non ſit ſolemniter publicatum exponitur periculo nullitatis Sacramentum Pœnitentiæ; atqui præſens noſtrum Benedictinum Decretum privat Iuriſdictione Confeſſarium Complicem in turpitudine, tam ex Americanis Confeſſariis, quàm ex omni Natione, ad validè abſolvendum á tali turpi peccato ſuum Complicem: ergo ex non obſervantia hujus Benedictini Decreti in aliqua Indiarum Diœceſi, eò quòd ibi non ſit ſolemniter publicatum, exponitur periculo nullitatis Sacramentum Pœnitentiæ. Liquet major: quia quoties privatio Iuriſdictionis ad validè abſolvendum eſt certa, tunc quæcumque Sententia, duntaxàt probabilis, favens tali Abſolutioni, exponit manifeſto periculo nullitatis Sacramentum Pœnitentiæ. Optimè ad rem noſter Maſtrius.

Inquit enim, ſic: *circa quæſtiones, quæ verſantur in materia facti, & circa valorem alicujus actus cùm hic non dependeat ex judicio noſtro, quantumvis prudente, ſed ex natura rei, vel ex voluntate, & inſtitutione alterius: contra prudentiam eſt, relicta via certa, & tutiori, operari ex opinione tantùm probabili: nam prudentia dictat, in tali materia eam actionem in praxi adhibendam eſſe, qua tollatur periculum mali, quod re ipſa timetur futurum, quando illa commodè adhiberi poteſt.* Hæc Scholæ Scotiſtarum honor, nempe Maſtrius, tom. 2. in lib. 2. Sentent. diſp. 5. quæſt. 3. art. 1. num. 142.

Confirmatur prædicta ratio: cùm ex Concilio Florentino in Decreto Eugenij 4. & ex Concilio Tridentino Seſſ. 14. cap. 7. Iuriſdictio, ſive Ordinaria, ſive Delegata, ſit neceſſaria ad valorem Sacramentalis Abſolutionis: cumque ex vi præſentis Decreti Benedictini ſit Confeſſarius Complex in turpitudine privatus Iuriſdictione, ad validè abſolvendum ſuum Complicem: hic eſt, quòd in hoc rerum ſtatu illa Sententia eſt ſequenda circa obligationem prædicti Benedictini Decreti, quæ ſit conformior Decreto Smi. Patris Innocentij XI. damnantis Propoſi-

positionem sequentem: *non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore.* Atqui Sententia, defendens particularem Promulgationem Constitutionum Apostolicarum in singulis Diœcesibus, ad hoc ut obligent, non conformatur hîc, & nunc, seu in specie hujus Constitutionis Benedictinæ, prædicto Decreto Innocentiano: ergo. Minor tenet: quia hîc, & nunc agimus de Valore Absolutionis Sacramentalis, ex specie hujus Benedictinæ Constitutionis: & prædicta Sententia est tantùm probabilis, & minùs communis.

Sed quid, si ex ipsis principiis Sententiæ, defendentis particularem Promulgationem Constitutionis Apostolicæ in singulis Diœcesibus ad inducendam ibi obligationem, probemus, nostram Benedictinam Constitutionem obligare pro omnibus Indiarum Diœcesibus, ubi adhuc non fuerit promulgata? Res sanè difficilis! Nihilominus arguo sic: prædicta Sententia suum propugnat Sisthema, sub hac limitatione: *nisi aliud in Bulla Pontificia exprimatur*, ut refert noster Reiffenstuel tom. 1. in lib. 1. Decretal. tit. 2. *de Constitutionibus*, §. 5. num. 125. Et ly *aliud*, exprimendum in Bulla Pontificia nil aliud est, quàm declarare, quòd mens Summi Pontificis est, obligare omnes totius Mundi Fideles ad observantiam illius Bullæ, semel facta sola, & unica solemni illius Promulgatione Romæ, & in locis Romæ consuetis; atqui mens Beatissimi Patris Benedicti XIV. expressa in hac sua Bulla Constitutiva, est, quòd semel facta sola, & unica solemni Promulgatione illius in locis Romæ consuetis, obligentur statim ad illius observantiam omnes totius Mundi Fideles: ergo.

Minorem probet Textus, qui ita sub num. 9. decernit: *ut autem præsentes litteræ ad omnium notitiam faciliùs deveniant, & nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus illas, seu earum exempla ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum, necnon Cancellariæ Apostolicæ, Curiæque Generalis in Monte Citatorio, ac in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris est, affigi, & publicari, sicque publicatas, & affixas, omnes, & singulos, quos illæ concernunt, perindè arctare, & afficere, ac si unicuique eo-*

rum

rum nominatim, & perſonaliter intimatæ fuiſſent. Ex qua littera ſic in forma: illa ſola, & unica ſolemnis Promulgatio ſufficit huic Apoſtolicæ Conſtitutioni, quæ in omnes Chriſti Fideles ponit eumdem effectum, quem ponerent ſingulæ Promulgationes faciendæ in ſingulis Diœceſibus; atqui Promulgatio facta Romæ, & in locis Romæ conſuetis, ex expreſſa voluntate Legiſlatoris Maximi Patris Benedicti, ponit in omnes Chriſti Fideles eumdem effectum, quem ponerent ſingulæ Promulgationes faciendæ in ſingulis Diœceſibus: ergo.

Hæc minor liquet: quia effectus, quem producerent illæ ſingullæ Promulgationes, & de facto producunt, eſt, obligare Fideles, quos hæc Conſtitutio concernit, ad obſervantiam illius; atqui hanc ipſammet obligationem producit illa ſolemnis Promulgatio facta Romæ, & in locis Romæ conſuetis, ut habetur in Textu, ibi: *ſicque publicatas, & affixas, omnes, & ſingulos, quos illæ concernunt, perindè arctare, & afficere, ac ſi unicuique eorum nominatim, & perſonaliter intimatæ fuiſſent:* ergo. Aliter ſic: quando Legiſlator expreſſè vult, quòd ejus Lex ad omnium Subditorum deveniat notitiam, media ſola Promulgatione illius facta in ſua Curia, conſequenter, expreſſè non requirit ſingulas illius Legis Promulgationes faciendas in ſingulis Provinciis; atqui Legiſlator noſter Maximus Benedictus expreſſè vult, quòd ejus Apoſtolica Conſtitutio ad omnium Fidelium perveniat notitiam, media ſola Promulgatione illius facta Romæ, & in locis Romæ conſuetis, ut patet in textu: ergo.

Adhuc aliter: quando Legiſlator providens de mediis, quibus notitia ſuæ Legis perveniat ad omnes Subditos, non eligit pro medio aliud, quàm monere, quòd ipſius Legis tranſumptis, ac exemplis impreſſis eadem fides adhibeatur, quæ adhiberi debet Originali: ſignum probabiliſſimum eſt, ipſum Legiſlatorem nolle pro tunc, neceſſariò debere promulgari ſuam Legem in ſingulis Provinciis, ut Subditos obliget. Atqui Legiſlator, ac Pontifex Summus Benedictus, dum providet de mediis, quibus notitia ſuæ Conſtitutionis perveniat ad omnes Mundi Fideles, non eligit particulares Promulgationes illius faciendas in ſingulis Diœceſibus, eligens ſolùm, quòd ipſius Conſtitutio-

ſtitutionis tranſumptis, ac exemplis impreſſis eadem adhibeatur fides, quæ adhiberi debet Originali: ergo. Patet minor ex ipſo textu num. 9. ibi: *ipſarum præſentium litterarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarij Publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ, in Eccleſiaſtica Dignitate, conſtitutæ, munitis, eadem prorſus fides tam in judicio, quàm extra illud, ubique adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.*

Ut autem in actu ſecundo obliget hæc Benedictina Conſtitutio in illis Indiarum Diœceſibus, ubi adhuc non eſt ſolemniter publicata, ſufficit notitia illius habita á fide dignis Perſonis, & á viris ſtudioſis, qui fortè hanc legerint Conſtitutionem in aliquo Scriptore, quamvis pauci inveniantur Authores. Sufficit etiam ſcire, hanc Conſtitutionem fuiſſe Mexici ſolemniter publicatam: quam notitiam, etiam remotiſſimi á Metropoli Mexicea jam habuerint. Quin ſit addenda alia ſolemnior notitia per particularem illius publicationem: *quia eum, qui certus eſt, certiorari ulteriùs non oportet*, ut dicitur Reg. 31. *de Regulis Iuris* in 6.

Probatur denique hæc eadem ſecunda Concluſionis pars, ex altero capite, ſcilicet, ex Conſuetudine: quia illa Conſuetudo, quæ non obligant Conſtitutiones Pontificiæ in his Indiarum partibus, quin ſolemniter in qualibet Diœceſi promulgentur, locum nequit habere reſpectu hujus Conſtitutionis Benedictinæ. Primò: quia cùm hæc Conſtitutio Apoſtolica principaliter tendat in extirpandos Concubinatus Confeſſariorum, ſumpta occaſione á validitate Abſolutionis, collatæ Complici in turpitudine: ſi prædicta Conſuetudo obſtaret huic Legi, eò quòd non eſſet in aliqua Diœceſi publicata, conſequenter præberet occaſionem manendi in concubinatu Confeſſario Complici, ſi quis eſt: ac proin, eo ipſo non valet talis Conſuetudo, utpote hîc, & nunc nutritiva peccati, ut habetur cap. *Ex parte, de Conſuetud.* cap. *Extirpandæ, de Præbend.* cap. *Non ſatis*, & cap. *Cùm in Eccleſia, de Simon.* cum ſimilibus.

Secundò: quia cùm hæc Apoſtolica Conſtitutio tendat in conſervandam Diſciplinam Eccleſiaſticam, Nervumque Eccleſiaſticæ Diſciplinæ: ſi prædicta Conſuetudo obſtaret huic Le-

Legi, eò quòd non ſit in particulari Diœceſi promulgata, tunc ibidem hoc prætextu adhuc rumperetur Nervus Eccleſiaſticæ Diſciplinæ, ſi fortè alicubi rumpitur: ac proin, ipſo facto non valeret prædicta Conſuetudo, ut habetur cap. *Cùm inter, de Conſuetud.* Tertiò: quia cùm hæc Conſtitutio tendat in reformationem, & correctionem morum, præcipuè Miniſtrorum Sacramenti Pœnitentiæ: ſi prædicta Conſuetudo obſtaret, eò quòd non eſſet hæc Lex particulariter promulgata in aliqua Diœceſi, conſequenter ibidem obſtaret reformationi, & correctioni hujuſmodi: ac proin, ipſo lure eſſet nulla talis Conſuetudo, ut habetur cap. *Irrefragabili, de Offic. Ordinar.* & cap. *Cùm ex, de Præſcript.* Quartò: quia cùm hæc Apoſtolica Sanctio directè tendat in bonum Sacramenti Pœnitentiæ, in bonum Eccleſiæ, in bonum Animarum, ut patebit infrà: ſi eò quòd non eſſet publicata in aliqua Diœceſi, ibi non obligaret vi prædictæ Conſuetudinis: tunc talis Conſuetudo eſſet hîc, & nunc impia, & injuſta, ac per conſequens nulla, ex can. *Erit autem Lex*, diſt. 4. eò quòd Conſuetudo vim Legis habeat.

Nec multùm mirandum, prædictam á Majoribus noſtris uſque ad nos derivatam, ac tranſcendentem Conſuetudinem rationabilem, imò piam, imò juſtam, imò Sanctam, eſſe hîc, & nunc, ac reſpectu hujus Benedictini Conſtitutionis valdè periculoſam in praxi. Quippe tam Magiſtra Experientia, quàm communis Doctorum docet nos: ipſas Apoſtolicas Conſtitutiones, quæ aliquando fuerunt utiles, temporum ſucceſſu inutiles fuiſſe. Unde enim Legum Abrogatio, unde Derogatio? Optimè ad rem id, quod habetur cap. *Non debet, de Conſang.* & *Affinit.* ibi: *Non debet reprehenſibile judicari, ſi ſecundùm varietatem temporum Statuta quandoque mutentur humana, præſertim cùm urgens neceſſitas, vel evidens utilitas id expoſcit: quoniam ipſe Deus ex his, quæ in Veteri Teſtamento ſtatuerat, nonnulla mutavit in Novo.* Idem habetur cap. *Alma Mater, de Sent. Excomm.* in 6. ibi: *Alma Mater Eccleſia plerumque nonnulla rationabiliter ordinat, & conſultè, quæ ſuadente Subjectorum utilitate poſtmodùm conſultiùs, & rationabiliùs revocat, in meliùſque commutat.*

Prætereà: prædicta Indiarum Consuetudo manet abrogata per illam hujus Benedictinæ Constitutionis expressam Clausulam: *Non obstantibus = Consuetudinibus*: ergo vim non habet respectu hujus Apostolicæ Sanctionis. Probatur antecedens: per prædictam Clausulam abrogantur Consuetudines particulares Locorum, ut cum communi docet noster Reiffenstuel tom. 1. in lib. 1. Decretal. tit. 4. de Consuetud. §. 8. num. 184. Atqui prædicta Indiarum Consuetudo est de numero Consuetudinum particularium Locorum: ergo. Imò abrogatur, etiamsi sit Consuetudo Immemorialis. Ratio: quia, ut ibidem cum aliis docet Reiffenstuel sub num. 191. tunc per illam revocatoriam: *Non obstantibus Consuetudinibus*, abrogatur etiam Consuetudo Immemorialis, quando etiam in illa invenitur eadem ratio, ob quam Lex nova abrogat Consuetudinem; atqui in nostra Indiarum Consuetudine invenitur eadem ratio, ob quam hæc nova Constitutio Apostolica abrogat Consuetudines: ergo. Constat minor: quia ratio, ob quam hæc nova Constitutio abrogat Consuetudines, est, ne Consuetudines valeant impedire effectum illius; atqui hæc eadem ratio invenitur in nostra Indiarum Consuetudine: ergo. Concludendum. Prædicta Indiarum Consuetudo manet abrogata respectu hujus Constitutionis, tam ut Consuetudo particularis, quàm ut Consuetudo Immemorialis.

Hucusque autem Controversa circa Promulgationem hujus Benedictinæ Constitutionis, procedunt duntaxàt de Bulla Constitutiva, incipiente: *Sacramentum Pœnitentiæ*. Non verò procedunt de Brevi Declarativo, quod incipit: *Apostolici muneris partes*. Nam hæc Constitutio, utpote Declarativa prioris, nulla indiget Promulgatione, neque Romæ, neque alibi facienda: quippe cùm sit veluti intrinseca, substantialis, & inseparabilis á prima Constitutione, unà cum hac Constitutione censetur ejus declarativa sufficienter promulgata. Est expressa doctrina nostri Reiffenstuel tom. citato, tit. 2. *de Constitutionib.* §. 15. num. 376. Accedit: quòd ipsemet SSmus. Legislator Benedictus in hac sua Declarativa Constitutione nullam facit mentionem alicujus faciendæ Promulgationis: & si aliud voluisset, aliud expressisset.

AR-

ARGUMENTA SOLVUNTUR.

ARG. 1: ipſimet Summi Pontifices expreſſè volunt, ſervari Ius Civile, ubicumque á Iure Canonico nihil ſpecialiter eſt conſtitutum, ut habetur cap. 1. & cap. 2. *de novi operis nunt.* ibi: *ſicut Leges non dedignantur, Sacros Canones imitari, ita & Sacrorum Statuta Canonum, Principum Conſtitutionibus adjuvantur.* Idem deducitur ex can. *Quod dicitis*, diſt. 16. ex can. *Propoſuiſti*, diſt. 82. & ex cap. 1. *de Poſtulat. Prælat.* Atqui circa promulgationem Conſtitutionum Apoſtolicarum nil ſpecialiter eſt determinatum á Iure Canonico: ergo circa illarum Promulgationem ſtandum eſt Iuri Civili, quod quidem decernit, quod, ut Leges obligent, debent promulgari, non ſolùm in Curia Principis, verùm etiam in ſingulis Provinciis, ut habetur Auth. *Ut factæ novæ Conſtitutiones*, Collat. 5. Huic argumento, utpote principaliori Contrariæ Sententiæ, reſpondeo multipliciter.

Reſpondeo ergo primò: quòd, quando Ius Canonicum deficit, ſervandum eſt Ius Civile, non per obligationem, ſeu per neceſſitatem, cùm Ius Civile nequeat arctare Pontificem Summum: ſed per ſolam imitationem, eò quòd Ius Commune ſit multum conforme rationi, approbatumque á tot doctiſſimis Viris. Reſpondeo ſecundò: id bene ſtare, quando nil ſpeciale determinat Pontifex circa obligationem ſuæ Conſtitutionis: non verò quando aliquid ſpeciale determinat, ut accidit in citato cap. 1. *de Poſtulat. Prælat.* ubi decernitur, illum teneri ad obſervantiam Pontificiæ Conſtitutionis, *qui noverit eam ſolemniter editam, aut publicè promulgatam.* Idem accidit capit. 1. §: *Nec obſtaret, de conceſſ. Præbend.* in 6. ibi: *Lex, ſeu Conſtitutio, & Mandatum nullos adſtringunt, niſi poſtquàm ad notitiam pervenerint eorumdem, aut niſi poſt tempus, infra quod ignorare minimè debuiſſent.* Idemque accidit in noſtra Benedictina Conſtitutione, ubi Pontifex Maximus Benedictus expreſſè decernit: quòd ſemel facta illius ſolemni Publicatione in locis Romæ conſuetis, ſtatim ejus litteras *omnes, & ſingulos, quos illæ concernunt, perindè arctare, & afficere,*

ac

ac ſi unicuique eorum nominatim, & perſonaliter intimatæ fuiſſent. Reſpondeo tertiò: id verum eſſe, quando ex materia Conſtitutionis non colligitur, aliud voluiſſe Pontificem Summum: ſecùs ſi aliud voluiſſe, colligatur: eò quòd mens Legiſlatoris in ſua Lege, á materia Legis dignoſci valet, ex noſtro Reiffenſtuel ubi ſup. §. 6. num. 387. Quanta autem, quàmque gravis ſit materia hujus Benedictinæ Conſtitutionis, dicant Theologi. Unde colligendum eſt: Beatiſſimi Benedicti mentem fuiſſe, in tam gravi materia omnes Fideles obligare, etiamſi in ſingulis Diœceſibus non fuiſſet ſua Conſtitutio publicata. Reſpondeo quartò: quòd totus Mundus cenſetur una Provincia reſpectu Romani Pontificis, ex can. *Cuncta per Mundum*, cauſ. 9. quæſt. 3. cum ſimilibus.

Arg. 2: duriſſimum videtur, Noſtrates Americanos Septentrionales, has diſtantiſſimas á Roma habitantes partes, ſtatim obligari ad obſervantiam hujus Benedictinæ Conſtitutionis, ſemel publicatæ Romæ: ergo & duriſſima Concluſio. Diſtinguo antecedens: duriſſimum, &c. ſtatim obligari in actu ſecundo, concedo; ſtatim obligari in actu primo, nego, & conſequentiam. Cùm ad obſervantiam Legis, ſit neceſſaria Legis notitia: ideo, adhuc facta ſolemni hujus Conſtitutionis Promulgatione Romæ, nequivit obligare nos in actu ſecundo niſi poſt habitam illius ſufficientem notitiam. Hæc autem notitia habetur jam ſufficientiſſimè, tùm: ex relatione multorum ex Noſtratibus ex Roma venientibus. Tùm: ex Libris impreſſis, hanc referentibus Coſtitutionem. Tùm: quia hæc Conſtitutio fuit Mexici ſolemniter publicata anno 1752. ac proin, cùm Mexici, utpote Metropolis Magnæ hujus Novi Orbis conveniant ferè ex omni parte hujus Indiarum Regni, credendum eſt: notitiam hujus Conſtitutionis univerſum Indiarum jam tranſcendiſſe Regnum. Concludat hanc quæſtionem illud, quod dicitur cit. cap. 1. *de Poſtulat. Prælat.* ibi: *non eſt neceſſarium, cùm Conſtitutio ſolemniter editur, aut publicè promulgatur, ipſius notitiam ſingulorum auribus per ſpeciale mandatum, vel litteras inculcare; ſed id ſolùm ſufficit, ut ad ejus obſervantiam teneatur, qui noverit eam ſolemniter editam, aut publicè promulgatam.*

QUÆ-

QUÆSTIO SECUNDA: quem finem habeat hæc Benedictina Constitutio?

DUplex in Lege communiter distinguitur Finis, unus intrinsecus, & extrinsecus alius. Finis Legis intrinsecus est honestas illa, quæ reperitur in ipsa re, quæ præcipitur. Exempli gratia: præcipit Legislator, jejunare, nil amplius exprimens: tunc hæc Lex habet pro Fine intrinseco solam Jejunij honestatem. Finis Legis extrinsecus est illa honestas, quam habet res, quæ præcipitur, merè accidentaliter. Verbi gratia: præcipit Legislator, jejunare propter satisfactionem delicti: tunc hæc Lex habet pro Fine extrinseco satisfactionem delicti, quæ quidem per accidens advenit Jejunio. Uterque Finis adhuc est duplex, adæquatus unus, & alius inadæquatus. Finis adæquatus est omne id, quodá Lege intenditur. Finis inadæquatus est quælibet pars ex omnibus his, quæ á Lege intenduntur.

Loquendo autem circa præsentem materiam, Finis intrinsecus hujus Apostolicæ Constitutionis, est v. g. recta Sacramenti Pœnitentiæ Administratio: quippe rectè administrare tantum Venerabile Sacramentum, ab intrinseco importat peculiarem honestatem. Finis extrinsecus est, v. g. longè summovere ab Administratione Sacramenti Pœnitentiæ omnem turpitudinis occasionem, privando Iurisdictione Confessarium Complicem turpem: quippe hæc privatio Iurisdictionis ad summovendam á Sacramento Pœnitentiæ occasionem turpitudinis: est honestas adveniens per accidens rectæ Sacramenti Administrationi. Finis adæquatus est omne id, quod in hac Constitutione intenditur. Finis denique inadæquatus est quælibet pars ex omnibus illis, quæ intendit hæc Constitutio. His præmissis, præsens quæstio duntaxàt procedit de Fine adæquato: qualis scilicet sit? Pater Magister, & Doctor Fr. Iosephus Vincentius Diaz in suo Confessario instructo, Punct. 3. num. 23. assignat pro Fine adæquato hujus Constitutionis solùm sequentia: *summovere â Sacramento Pœnitentiæ omnem occasionem*

turpitudinis: vitare injuriam Eccleſiæ, & Sacramentorum contemptum: occurere Animarum periculis: rectam ſolicitare Adminiſtrationem Sacramenti Pœnitentiæ. Doctè ianè Doctor Diaz. Nihilominus ſit

Conclusio: Finis adæquatus hujus Benedictinæ Conſtitutionis ex duplici rerum genere coaleſcit. Primi generis ſunt omnia favorabilia, nempe: *ſummovere à Sanctitate Sacri Tribunalis, & Sacerdotalis Iudicij, omnem turpitudinis occaſionem: ſummovere item contemptum Sacramentorum, & Eccleſiæ injuriam: prorſus eliminare tam exitioſa hujuſmodi mala: atque periculis occurrere animarum.* Secundi generis ſunt omnia pœnalia, & punitiva, nimirum: *Abſolutionem delicti falſæ Denuntiationis reſervare Sedi Apoſtolicæ: privare Iuriſdictione Confeſſarium Complicem in turpitudine: annullare Abſolutionem, ſi quam impertierit ſuo Complici talis Complex Confeſſarius: ferre contra illum, ſi abſolvat, Excomunicationem Majorem: atque hanc Cenſuram reſervare Apoſtolicæ Sedi.*

Primam Conclusionis partem defendo cum prælaudato Authore Carmelita; ſecundam verò contra ipſum propugno. Probatur autem utraque pars: ille eſt Finis adæquatus Legis, quem Legiſlator intendit in Lege; atqui Beatiſſimus Benedictus in hac ſua Conſtitutione intendit, tam omnia illa favorabilia, quàm illa omnia pœnalia recenſita in Concluſione: ergo. Probatur minor: illud intendit Legiſlator in ſua Lege, ad quod diriguntur omnia, quæ in Lege decernit; atqui omnia, quæ Sanctiſſimus Benedictus decernit in hac ſua Conſtitutione, diriguntur, tam ad omnia illa favorabilia, quàm ad illa omnia pœnalia recenſita in Concluſione: ergo. Liquet minor ex ipſo Textu totius Conſtitutionis, & ampliùs patebit ex proximè dicendis quæſtione ſequente. Idcircò ſit

QUÆ-

QUÆSTIO TERTIA:
utrum hæc Benedictina Constitutio sit Odiosa, vel Favorabilis?

CUM hæc Apostolica Constitutio non sit merè indifferens, abstrahendo scilicet tam á Favore, quàm ab Odio: necessariò debet esse, vel Favorabilis, vel Odiosa, vel utrumque. Tunc Lex dicitur Favorabilis, quando directè, & principaliter tendit in favorem alicujus, etiam si indirectè, & secundariò tendat in damnum, seu pœnam alterius. Tunc verò Lex dicitur Odiosa, quando directè, primò, & principaliter tendit in damnum, seu pœnam alicujus, quamvis indirectè, secundariò, & minùs principaliter tendat in favorem alterius. Tunc denique Lex dicitur simul Favorabilis, & Odiosa, quando æquè directè, primariò, & principaliter tendit, tam in favorem unius, quàm in damnum, seu pœnam alterius. Ad dignoscendum autem, qualis Lex sit principaliter, & primariò, vel Favorabilis, vel Odiosa, vel utrumque simul: Magnus noster Reiffenstuel, inter alias Regulas, assignat sequentem, tom. 1. in lib. 1. Decretal. tit. 2. *de Constitutionib.* § 17. num. 438.

Inquit enim: quòd quotiescumque Favor, & Odium possunt secerni, & ab invicem separari in aliqua Lege: tunc talis Lex debet censeri, partim Favorabilis, & partim Odiosa. Ita ex leg. *Venia*, C. *de in Ius vocand.* docet Glossa *v. Liberis*, dicens: *ex parte Patroni, est Favor. & ideo prorogandus; ex parte Liberti, est Odium, & ideo restringendum.* Glossam sequuntur Bartholus, Baldus, Jason, Covarruvias, Sanchez, & alii, citati ubi suprà á laudato Reiffenstuel. His statutis, Pater Magister, & Doctor Diaz in suo Confessario instructo, Punct. 10. num. 81. docet: *hanc Benedictinam* Constitutionem esse directè, principaliter, & primariò Favorabilem; de secundariò verò esse Odiosam. Ego autem, quoad primam partem huic opinioni libens subscribo; quoad secundam, minimè. Unde sit

CONCLUSIO: hæc Constitutio Benedictina æquè directè, principaliter, & primariò est simul Favorabilis, & Odiosa, quoad

partes ejus diverſas. Probatur primò: quia, ut ſuprà Reiffenſtuel cum Gloſſa, & aliis, quoties in aliqua Lege poſſunt ſecerni, & ab invicem ſeparari Favor,& Odium,tunc talis Lex cenſeri debet partim Favorabilis, partim Odioſa; atqui in noſtra Benedictina Conſtitutione optimè, imò clariſſimè, poſſunt ſecerni, & ab invicem ſeparari Favor, & Odium: ergo. Probo minorem: in noſtra Benedictina Conſtitutione optimè, imò clariſſimè, poſſunt ſecerni, & ab invicem ſeparari, tam Zelus Apoſtolicus, quo favet Eccleſiæ, Sacramento Pœnitentiæ, & Animabus; quàm Apoſtolicus Zelus, quo infligit pœnas contra Confeſſarium Solicitantem ad turpia, contra falsò Denuntiantesinnocentem Confeſſarium,& contra Confeſſarium Complicem in turpitudine; atqui primus Zelus eſt Favor, & Zelus ſecundus eſt Odium: ergo.

Probatur ſecundò: quando Lex æquè tota incumbit in aliquem favendum, & tota ſimul incumbit in aliquem puniendum: tunc talis Lex cenſeri debet æquè directè,principalitèr, & primariò, ſimul Favorabilis, & Odioſa, quoad partes ejus diverſas;atqui noſtra Apoſtolica Conſtitutio æquè tota incumbit in favendam Eccleſiam, in favendum Sacramentum Pœnitentiæ, in favendas Animas; totaque ſimul incumbit in puniendum Confeſſarium Solicitantem ad turpia, in puniendos falsò Denuntiantes innocentem Confeſſarium, in puniendum Confeſſarium Complicem in turpitudine: ergo. Minor patet ex ipſo ferè toto Textu Bullæ.

Probatur tertiò: dato, quòd in hac Conſtitutione non poſſemus, ab invicem ſeparare Favorem, & Odium, deberemus attendere ad principalem intentionem SSmi. Legiſlatoris Benedicti, ex doctrina Reiffenſtuel cum aliis, ubi ſuprà, num. 439. & 440. Atqui principalis intentio Sanctitatis ſuæ eſt,æquè favere Eccleſiæ, Sacramento Pœnitentiæ, & Animabus, ac infligere pœnas debitas contra Confeſſarios Solicitantes, contra falsò Denuntiantes,& contra Confeſſarium Complicem in turpitudine: ergo.Patet minor: quia,ut ibidem docet Reiffenſtuel,intentio Legiſlatoris optimè valet dignoſci ex ejus verbis in Lege, & ex materia ipſius Legis; atqui tam verba, quàm materia hujus Conſtitutionis æquè tendunt in Favorem prædictum,& in prædictum Odium: ergo.

AR-

ARGUMENTA SOLVUNTUR.

ARG. 1. contra 2. partem: hæc Apoſtolica Conſtitutio, etiam qua parte eſt Odioſa, eſt Favorabilis: ergo tota Favorabilis. Probatur antecedens: adhuc qua parte eſt Odioſa reſpicit Commune bonum totius Eccleſiæ, aliàs deficeret á ratione Legis; atqui reſpiciens commune bonum totius Eccleſiæ, debet cenſeri Favorabilis: ergo. Diſtinguo antecedens: etiam qua parte eſt Odioſa, eſt Favorabilis primariò, & proximè, nego, etiam qua parte eſt Odioſa, eſt Favorabilis ultimatè, & remotè, concedo; negoque conſequentiam. Similiter ad probationem. Omnis enim Lex, etiam pœnalis, tendit in bonum Commune Reipublicæ; ſed tendit ultimatè. Hinc ad dignoſcendum, qualis Lex ſit Favorabilis, non attenditur hic Finis ultimatus, & remotus; ſed Finis proximus, & primarius.

Arg. 2. contra eamdem: quantò majori dilectione alicui favere cupit Legiſlator, tantò plùs eſt Favorabilis Lex; atqui maxima dilectione cupit SSmus. Benedictus favere Eccleſiæ, Sacramento Pœnitentiæ, & Animabus: ergo. Liquet minor ex ejus verbis: *Demùm magnoperè cupientes, á Sacerdotalis Iudicij, & Sacri Tribunalis Sanctitate omnem turpitudinis occaſionem, & Sacramentorum contemptum, & Eccleſiæ injuriam longè ſummovere, & tam exitioſa hujuſmodi mala prorſus eliminare, & quantùm in Domino poſſumus, animarum periculis occurrere.* Ubi valdè notandum ly: *magnoperè cupientes.*

Diſtinguo majorem: quantò, &c. tantò plùs eſt Favorabilis Lex, vel in linea totalitatis, vel in linea partialitatis, concedo: tantò plùs eſt Favorabilis, præcisè in linea totalitatis, nego. Et diſtinguo minorem: maxima dilectione cupit favere Eccleſiæ, &c. in linea partialitatis, concedo; maxima dilectione cupit favere in linea totalitatis, nego, & conſequentiam. Etiam SSmus. Pater expreſſis verbis magnoperè cupit, punire delinquentes, adeò, ut Sacerdotes Complices vocet Miniſtros Dœmonis, ibi: *ſacrilegi quidem dæmonis potiùs, quàm Dei Miniſtri.* Unde ſi ex illa maxima dilectione infertur magnitudo Favoris; æquum, & juſtum eſt, quòd ex hac tremenda expreſſione inferamus magnitudinem Odij.

DISSERTATIO SECUNDA: de Confessariis Solicitantibus ad turpia.

SAnctissimus Pater noster Benedictus XIV. in hac sua Apostolica Constitutione, non solùm confirmat Constitutionem SSmi. etiam Patris nostri Gregorii XV. editam contra Confessarios Solicitantes ad turpia, verùm & addit alios casus Solicitationis, denuntiandos. Idcircò in hac Dissertatione duo occurrunt discutienda. Primum: quid hæc Benedictina Constitutio addat Constitutioni Gregorij XV? Secundum: cui Tribunali sit denuntiandus Sacerdos Solicitans, ex vi præsentis Benedictini Decreti?

QUÆSTIO PRIMA: quid hæc Benedictina Constitutio addat Constitutioni Gregorii XV. circa Confessarios Solicitantes ad turpia?

ENormissimum Crimen adeò est, Confessarium suos ad turpia solicitare Pœnitentes, ut ipse Confessarius Solicitans sit suspectus de hæresi. Ita expressè Pius IV. in sua Bulla, edita anno 1561. die 16. Aprilis, ibi: *Nos in animum inducere nequeuntes, quòd qui de Fide Catholica rectè sentiunt, Sacramentis in Ecclesia Dei institutis abutantur, aut illis injuriam faciant.* Et infrà præcipit Inquisitori Generali Archiepiscopo Hispalensi, sic: *tam super præmissis, quàm super Fide Catholica, & quid de ea sentiant, diligenter inquiras.* Hinc meritò tot, & illa gravissima, exiere Decreta á Sancta Apostolica Sede contra Confessarios ad turpia Solicitantes. In primis enim, prædictus SSmus. Pius IV. prælaudatam edidit Bullam, quæ incipit: *Cùm sicut nuper*: in qua Archiepiscopo Hispalensi concedit facultatem, ut in Regnis Hispaniæ procedat contra quoscumque Sacerdotes, qui in ipso actu Confessionis solicitaverint Mulieres pœnitentes ad actus inhonestos.

Deinde,

Deinde, Clemens VIII. edidit Decretum, publicatum die 3. Decembris, anno 1592. quod incipit: *In Nomine Domini, Amen*, in quo approbat præcitatam Bullam Pij IV. & decernit: omnes Fideles teneri, ad denuntiandum Inquisitoribus Confessarios Solicitantes. Successit Paulus V. qui specialem edidit Bullam, incipientem: *Dilecte Fili*, in qua Inquisitori Generali in Regnis Portugaliæ concedit facultatem, ut procedat contra Sacerdotes Solicitantes, aut provocare tentantes in Confessione Mulieres ad inhonestos actus. Successit postèà Gregorius XV. qui die 30. Augusti, anno 1622. Pontificatus sui anno secundo, celeberrimum edidit Breve, & incipit: *Universi Dominici gregis*: in quo, & confirmat, & ampliat omnes laudatas Constitutiones suorum Prædecessorum.

Ampliatio liquet ex multis. Primò: quia Constitutiones Prædecessorum Gregorij loquebantur de sola Solicitatione, facta Mulieri: at Constitutio Gregoriana loquitur de Solicitatione, facta etiam Masculis, ut communiter docent Theologi. Secundò: vi aliarum præcedentium Constitutionum solùm erat denuntiandus Sacerdos, qui tantùm in actu Confessionis solicitasset: at vi Constitutionis Gregorianæ est denuntiandus Sacerdos, qui solicitaverit in ipso actu Confessionis; qui solicitaverit anteà, vel post immediatè; qui solicitaverit occasione, vel prætextu Confessionis, etiam Confessione non secuta; qui solicitaverit extra occasionem Confessionis in Confessionario, aut in loco quocumque, ubi Confessiones Sacramentales audiuntur, seu ad Confessionem audiendam electo, simulantes ibidem Confessiones audire. Tertiò: in aliis Prædecessorum Constitutionibus solo Inquisitori Generali Hispaniæ, & Portugaliæ, committebatur cognitio hujus criminis; at in hac Gregoriana Constitutione committitur hæc cognitio Dominis Inquisitoribus, & Illmis. Episcopis totius Orbis Christiani. Tandem, successit dulcis memoriæ Benedictus XIV. (qui unà cum prælaudatis Prædecessoribus suis Sedem teneat in Patria) & edidit plausibilem his temporibus Constitutionem, quæ incipit: *Sacramentum Pœnitentiæ*: in qua confirmat solemniter Constitutionem Gregorij XV. & illam ampliat. Unde præsens inquirit quæstio: quid addiderit? Et satisfacit

Con-

Conclusio: hæc Benedictina Constitutio addit Constitutioni Gregorij XV. quinque novos Casus circa Confessarios Solicitantes ad turpia, denuntiandos. Hæc Concluſio meliùs probari nequit, quàm utriuſque Conſtitutionis conferendo Textum utrumque. Ecce ergo Gregorianæ Conſtitutionis Textus: *Statuimus, decernimus, & declaramus, quòd omnes, & ſinguli Sacerdotes, = = qui perſonas, quacumque illæ ſint, ad inhoneſta, ſive inter ſe, ſive cum aliis quomodolibet perpetranda in actu Sacramentali Confeſſionis, ſive antè, vel poſt immediatè, ſeu occaſione, vel prætextu Confeſſionis hujuſmodi, etiam ipſa Confeſſione non ſecuta, ſive extra occaſionem Confeſſionis in Confeſſionario, aut in loco quocumque, ubi Confeſſiones Sacramentales audiuntur, ſeu ad Confeſſionem audiendam electo, ſimulantes ibidem Confeſſiones audire, ſolicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhoneſtos ſermones, ſive tractatus habuerint, in Officio Sanctæ Inquiſitionis*, &c.

Ecce nunc Textus Benedictinæ Conſtitutionis: *meminerint prætereà omnes, & ſinguli Sacerdotes, ad Confeſſiones audiendas conſtituti, teneri ſe, ac obligari, ſuos pœnitentes, quos noverint fuiſſe ab aliis ſolicitatos, ſedulò monere, juxta occurrentium caſuum circumſtantias, de obligatione denuntiandi Inquiſitoribus, ſive Locorum Ordinariis prædictis, perſonam, quæ ſolicitationem commiſſerit, etiamſi Sacerdos ſit, qui Iuriſdictione ad abſolutionem validè impertiendam careat, aut ſolicitatio inter Confeſſarium, & pœnitentem mutua fuerit, ſive ſolicitationi pœnitens conſenſerit, ſive conſenſum minimè præſtiterit, vel longum tempus poſt ipſam ſolicitationem jam efluxerit, aut ſolicitatio, non pro ſe ipſo, ſed pro alia perſona peracta fuerit.* Hucuſque uterque Textus. Ubi ſtatim notandum: quòd hic ultimus caſus Solicitationis, contentus in hac Benedictina Conſtitutione, nempe: *aut ſolicitatio, non pro ſe ipſo, ſed pro alia perſona peracta fuerit:* eſt idemmet caſus, contentus in Brevi Gregoriano, ibi: *ad inhoneſta, ſive inter ſe, ſive cum aliis quomodolibet perpetranda.*

Excepto igitur hoc ultimo caſu ob identitatem prædictam,

ctam, remanent quinque novi denuntiabiles Casus Solicitationis, ex vi hujus novi Apostolici Decreti. Primus est: denuntiandum esse Sacerdotem Solicitantem, quamvis sit talis, qui careat Iurisdictione ad absolvendum. Hinc post hoc Decretum jam non est sequenda illa aliquorum Theologorum Sententia, quæ dicebat: non esse denuntiandum Sacerdotem Solicitantem, qui caret Iurisdictione: quam Sententiam refert, licèt non sequatur, Cursus Salmantinus tom. 5. trat. 21. cap. 4. punct. 3. §. 2. num. 25. Secundus est: denuntiandum esse Confessarium Solicitantem, quamvis Solicitatio fuerit mutua inter Confessarium, & Pœnitentem. Hinc manet jam improbabilis Sententia Patris Castro-Palao, qui tom. 1 tract. 4. disp. 9. punct. 8. num. 2. docuerat: quòd si Confessarius, & Pœnitens conveniant in simulatione Confessionis, ut ibi libentiùs inhonestos habeant sermones, non tenetur Pœnitens denuntiare Confessarium.

Tertius Casus est: denuntiandum esse Confessarium Solicitantem, etiam si Pœnitens Solicitationi consenserit. Hinc Posthàc omni caret probabilitate illa Theologorum Sententia, quam refert Cursus Salmantinus, ubi suprà punct. 4. §. 1. num. 65. docens: fœminam solicitatam, & consentientem, non teneri denuntiare Confessarium Solicitantem. Quartus est: esse denuntiandum Confessarium Solicitantem, etiamsi Pœnitens consensum minimè præstiterit. Quintus denique Casus est: denuntiandum esse Confessarium Solicitantem, etiamsi longum tempus post Solicitationem efluxerit. Hinc improbabilis remanet opinio illorum Theologorum, quos refert noster Felix Potestas in suo Examine Ecclesiastico, tom. 2. part. 3. cap. 12. quæres 5. num. 611. defendentium: Pœnitentem non teneri denuntiare Confessarium Solicitantem, si jam longum tempus transierit post Solicitationem.

Unde posthàc, Capita Denuntiationis circa Confessarium Solicitantem sumpta simul, tam ex Constitutione Gregorij XV. quàm ex hac nova Constitutione Benedicti XIV. sunt duodecim: quorum septem prima pertinent ad Constitutionem Gregorianam, & quinque sequentia pertinent ad hanc Benedictinam Constitutionem. Primùm caput: *Actus Confessionis.* Secundum: *Immediatè antè.* Tertium: *Immediatè post.* Quartum:

Occa-

Occaſio Confeſſionis. Quintum: *Prætextus Confeſſionis.* Sextum: *Confeſſionarium.* Septimum: *Simulatio Confeſſionis.* Octavum: *Etiam ſi careat Iuriſdictione.* Nonum: *Etiam ſi Solicitatio ſit mutua.* Decimum: *Etiam ſi Pœnitens conſentiat.* Undecimum: *Etiam ſi Pœnitens non conſentiat.* Duodecimum Caput: *Etiam ſi longum tempus effluxerit.*

QUÆSTIO SECUNDA:

cui Tribunali ſit denuntiandus Sacerdos Solicitans, ex vi præſentis Benedictini Decreti?

ANSAM arripuit præſens difficultas ex eo, quòd SSmus. Pater noſter Benedictus in hac ſua Conſtitutione, quaſi inſimul committit denuò Dominis Inquiſitoribus,& Illmis. Epiſcopis facultatem cognoſcendi, & procedendi contra Sacerdotes Solicitantes ad turpia. Verba Sanctitatis ſuæ ſunt ſequentia: *atque etiam, quatenus opus ſit, denuò committimus, & mandamus omnibus Hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus, & Locorum Ordinariis omnium Regnorum, Provinciarum, Civitatum, Dominiorum, & Locorum univerſi Orbis Chriſtiani, in ſuis reſpectivè Diœceſibus, ut diligenter, omnique humano reſpectu poſtpoſito, inquirant, & procedant contra omnes, & ſingulos Sacerdotes,* &c. Reſpondet autem

Conclusio: adhuc ex vi præſentis Benedictini Decreti, in Univerſo Indiarum Regno denuntiandi ſunt Sacerdotes Solicitantes Sacro Inquiſitionis Tribunali: imò idem faciendum in toto Hiſpaniarum Regno. Probatur: tam quoad Privilegium, quàm quoad Conſuetudinem competit privativè Sacro Indiarum Tribunali Inquiſitionis, Sacroque Inquiſitionis Tribunali Generali Hiſpaniarum, cognoſcere, & procedere contra Sacerdotes Solicitantes; atqui huic Privilegio, & huic Conſuetudini minimè obſtat prædicta Clauſula hujus Apoſtolici Decreti: ergo adhuc ex vi præſentis Decreti, in univerſo Hiſpaniarum, & Indiarum Regno, denuntiandi ſunt Sacerdotes Solicitantes Sacro Tribunali Inquiſitionis. Major multipliciter con-

conſtat, quoad Privilegium: ſufficiat tamen pro mille, quoddam Teſtimonium, emanatum in quadam Epiſtola ab Univerſali Inquiſitione, circa intelligentiam Conſtitutionis Gregorij XV. miſſaque Tribunali Inquiſitionis Hiſpaniæ.

Clauſulam autem prædictæ Teſtimonialis Epiſtolæ refert Idiomate Hiſpano Pater Magiſter, & Doctor Diaz in ſuo Confeſſario inſtructo, punct. 2. num. 21. his verbis: *Conſultado el Iluſtriſſimo Señor Cardenal, há parecido, que ſe executen los Caſos, que ſe ofrecieren, advirtiendo, que aunque en el Breve ſuena, que ſe dà Juriſdiccion acumulativamente á el Santo Oficio: ha declarado ſu Santidad, que no ſe entienda eſta acumulacion en las Inquiſiciones de los Reynos de ſu Mageſtad: y ſi algun Ordinario ſe entrometiere, á conocer de el dicho delicto, ſe inhibirá, dando luego aviſo de ello â el Conſejo.* Conſtat etiam major, quoad Conſuetudinem, ex ipſamet experientia, qua videmus, in utroque Regno utrumque Venerandum Tribunal Inquiſitionis procedere privativè contra Sacerdotes Solicitantes.

Quocircà ſolùm probanda venit minor. Probatur utique: quin Lex nova includat Clauſulam derogatoriam Privilegij, & Conſuetudinis, minimè talis nova Lex obſtat tali Privilegio, talique Conſuetudini, quæ non ſunt illi Legi contraria; atqui prædicta Clauſula noſtri Benedictini Decreti nec minimum verbum includit, derogatorium prædicti Privilegij, prædictæque Conſuetudinis utriuſque Sacri Inquiſitionis Tribunalis; & aliàs tale Privilegium, ac talis Conſuetudo non contrariantur, imò favent ipſi Apoſtolico Decreto: ergo. Cur autem prædicta noſtræ Conſtitutionis Clauſula ſimul denuò committat facultatem Dominis Inquiſitoribus, & Illmis. Epiſcopis, ut procedant contra Confeſſarios ad turpia Solicitantes? Duplicem ad rem invenio rationem apud Authores.

Ex Curſu enim Salmantino tom. 5. tract. 21. punct. 3. §. 1. num. 21. reſpondeo primò ſic: quia cùm hæc Apoſtolica Conſtitutio expedita ſit pro Univerſo Orbe Chriſtiano, & non in Univerſo Orbe Chriſtiano ſint Inquiſitores contra Hæreticam pravitatem, benè verò ſint Epiſcopi: hinc neceſſarium fuit, Præceptum, & Commiſſionem de cognoſcendo, ac procedendo

do contra Confeſſarios Solicitantes, dirigi Dominis Inquiſitoribus, pro illis Regnis, ubi viget hoc Sacrum Tribunal: pro illis autem Regnis, ubi hoc Tribunal Sacrum non viget, dirigi Illmis. Epiſcopis. Qua de cauſa, cùm tam in Hiſpaniæ Regno, quàm in noſtro Regno Indiarum vigeat, ac exiſtat hoc Venerabile Fidei Tribunal: illi privativè competit executio hujus Benedictini Præcepti, ac iteratæ Commiſſionis. Imò addo cum Diana part. 4. tract. 5 reſolut. 52. & cum Leandro tract. 5. de Pœnit. diſp. 13. quæſt. 46. quòd ſi quis, ignoranter procedens, in noſtro Indiarum Regno denuntiaret Epiſcopo aliquem Sacerdotem Solicitantem, non liberaretur ab onere denuntiandi illum Tribunali Sacræ Inquiſitionis.

Ex noſtro verò Felice Poteſtate in ſuo Examine Eccleſiaſtico, tom. 2. part. 3. cap. 12. quæres 8. num. 620. reſpondeo ſecundò ſic: quia cùm in aliis Regnis Tribunal Sacræ Inquiſitionis non habeat prædictum Privilegium, conceſſum Inquiſitionibus Hiſpaniæ, ac Indiarum: & alioquin Illmi Epiſcopi de Iure Communi habeant Iuriſdictionem, ad procedendum ſeparatim ab Inquiſitoribus in Cauſis Fidei, tam contra Hæreticos, quàm contra Suſpectos, ex cap. *Per hoc*, & ex cap. *Ut Inquiſitionis, de Hæreticis*, in 6. cum ſimilibus: hinc pro talibus Regnis (ſemper exceptis Inquiſitionibus, habentibus Privilegium, quod habent Inquiſitiones Hiſpaniæ, & Indiarum) Præceptum hujus Benedictinæ Conſtitutionis dirigitur æquè directè, & æquè immediatè, tam Dominis Inquiſitoribus, quàm Illmis. Epiſcopis: quippe cumulativè habent Iuriſdictionem circa Fidei Cauſas. Ita, ut Iuriſdictio Inquiſitorum non præjudicet Iuriſdictioni Epiſcoporum: neque Iuriſdictio Epiſcoporum Iuriſdictioni Inquiſitorum. Ac proin: in his Regnis, ſi quis Caſum Solicitationis denuntiet Epiſcopo Loci, liberatur omninò ab onere denuntiandi illum Inquiſitoribus.

DISSERTATIO TERTIA: de falsò Denuntiantibus Innocentem Confessarium.

ADamussim hucusque sequutus, & adhuc sequuturus deinceps ordinem Decretorum, quæ in hac Apostolica Constitutione continentur: agere adorior de delicto falsæ Denuntiationis contra Innocentes Confessarios: de pœnis latis contra tam enorme crimen: ac de Subjectis comprehensis sub hoc delicto, sub hisque pœnis. Hinc præsens Dissertatio tribus absolvetur quæstionibus. Sit ergo

QUÆSTIO PRIMA: utrum de quolibet delicto intelligatur hæc falsa Denuntiatio?

VErbum *Solicitare* plures habet significationes. Aliquando quidem accipitur pro *pluries instare*: aliquando *pro requirere*: aliquando *pro inquietare*: aliquando pro *molestare*: ita notter Reiffenstuel tom. Theologiæ Moralis tract. 14. dist. 8. quæst. 5. num. 60. Unde cùm nostra Benedictina Constitutio in hoc Decreto contra falsò Denuntiantes, absolutè utatur verbo *Solicitare*, ibi: *falsò Solicitationis insimulant*: hinc meritò inquirit quæstio: utrum de quocumque delicto intelligatur hæc falsa Denuntiatio Solicitationis? Ne autem in re tam clara multùm immoremur, sit

CONCLUSIO: hæc falsa Denuntiatio de crimine Solicitationis, intelligitur ex vi præsentis Benedictini Decreti, solùm de Solicitatione ad turpia. Provatur primò: ex vi præsentis Benedictini Decreti, de illa Solicitatione debet intelligi hæc falsa Denuntiatio, de qua intelligitur immediatum primum Decretum ejusdem Benedictinæ Constitutionis contra Confessarios Solicitantes; atqui immediatè præcedens Decretum contra Confessarios Solicitantes loquitur expressè solùm de Solicitatione ad turpia: ergo,

Probatur secundò: de illa Solicitatione debet intelligi hæc falsa Denuntiatio, de qua loquitur Constitutio Gregorij XV; atqui hæc Constitutio loquitur solùm de Solicitatione ad turpia: ergo. Probatur tertiò: de illa Solicitatione debet intelligi hæc falsa Denuntiatio, de qua intelliguntur omnes Constitutiones Pontificiæ, editæ contra Confessarios Solicitantes; atqui prædictæ Constitutiones intelliguntur, & loquuntur de sola Solicitatione ad turpia: ergo. Probatur denique: de illa Solicitatione debet intelligi hæc falsa Denuntiatio, de qua omnes Theologi intelligunt crimen Solicitationis; atqui crimen Solicitationis intelligunt omnes Theologi de sola Solicitatione ad turpia: ergo.

QUÆSTIO SECUNDA:
quam pœnam incurrat ille, qui falsò denuntiat innocentem Confessarium: & â quo absolvi ab illa possit?

MAgnam aggredimur difficultatem: in cujus resolutione extremè ab invicem separantur Authores Novissimi. In qua opinionum varietate illud notare non omittam: quòd ex Authoribus, quos vidi vel in se ipsos, vel ab alio citatos, duo duntaxàt, ex professo hanc tractant quæstionem, scilicet Pater Fr. Antonius á SSmo. Sacramento in Additionibus ad tomum 7. Cursus Salmanticini, cap. 6. punct. 4. §. 1. á num. 214. & Pater Fr. Ioannes Sanz Lopez in sua Expositione litterali hujus Constitutionis, quæst. 18. conclus. 3. num. 148. prout refert laudatus Pater Fr. Antonius sub num. 224. Cæteri autem Authores, nimirum, Pater Magister, & Doctor Diaz in suo Confessario instructo, punct. 12. num. 98. Pater Redal in sua Expositione, num. 60. Doctor Azedo in suo Opusculo Theologico, quæst. 3. num. 83. hanc ex professo non tractant quæstionem, sed aliam huic similem, quam & nos infrà, Deo Duce, & luce, tractabimus, nempe: quis possit absolvere Confessarium Complicem, absolventem suum turpem

pem Complicem extra mortis articulum, ab Excommunicatione Majori reſervata Sedi Apoſtolicæ, quam ipſo facto incurrit?

Enimverò, ob prædictam Caſuum, & quæſtionum ſimilitudinem, quidquid prædicti Authores dixerint de Abſolutione ab illa Excommunicatione, aſſerere tenentur, vi conſequentiæ in doctrina, de Abſolutione á delicto falſæ Denuntiationis, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervato, ut jam patebit. Qua de cauſa, velint, nolint, trahendi ſunt ad hanc Controverſiam: & velint, nolint, debent affirmativam proferre Sententiam, eò quòd circa illam quæſtionem de Abſolutione ab illa Excommunicatione reſervata, validè affirmativam propugnant opinionem, modò magis, modò minùs. His ſic ſtantibus, præſens quæſtio ſic inquirit: quam pœnam incurrat ille, qui falsò denuntiat Innocentem Confeſſarium de crimine Solicitationis: & dato, quòd hoc delictum falſæ Denuntiationis ſit reſervatum Sedi Sanctæ, an abſolvi poſſit extra mortis articulum, vel á Confeſſario Sæculari virtute Bullæ Sanctæ Cruciatæ, vel á Confeſſario Regulari facultate ſuorum Privilegiorum? Circa quam difficultatem tres enumero Sententias. Prima eſt affirmativa, quam tueri tenentur Pater Magiſter, & Doctor Diaz, Pater Redal, & Doctor Azedo. Secunda eſt negativa, quam defendit Pater Sanz Lopez. Tertia eſt, veluti neutralis, & hæc eſt via, quam ſibi elegit Pater Fr. Antonius á SSmo. Sacramento, ubi ſuprà, num. 214. dicens: *circa hanc difficultatem, meam non proferam Sententiam, ſed rationes pro utraque parte Lectori exponam.* Hæc Doctus Carmelita ex Diſcalceatis. Sit autem

Conclusio: ille, qui falsò dentiat Innocentem Confeſſarium de crimine Solicitationis, incurrit Reſervationem Sedi Apoſtolicæ, quæ Reſervatio eſt abſque aliqua Cenſura: abſolvique poteſt extra mortis articulum, tùm á Confeſſario Sæculari virtute Bullæ Sanctæ Cruciatæ, tùm á Confeſſario Regulari facultate ſuorum Privilegiorum. Pro prima hujus Concluſionis parte habemus mentem expreſſam SSmi. Patris Benedicti in ſua Bulla: *Sacramentum Pœnitentiæ*, ubi ſic clariſſimè decernit: *ut igitur tam nefaria audacia, & tam deteſtabile fa-*

facinus metu magnitudinis pœnæ coërceatur, quæcumque perſona, quæ execrabili hujuſmodi flagitio ſe inquinaverit, vel per ſe ipſum innocentes Confeſſarios impiè calumniando, vel ſceleſtè procurando, ut id ab alijs fiat, à quocumque Sacerdote, quovis Privilegio, Authoritate, & Dignitate munito, præter quam à Nobis, noſtriſque Succeſſoribus, niſi in fine vitæ, ac excepto mortis articulo, ſpe Abſolutionis obtinendæ, quam Nobis, & Succeſſoribus prædictis reſervamus, perpetuò careat. Hæc Bulla ſub num. 6.

In quibus verbis duo liquidò habemus: Primum: delictum falſæ Denuntiationis contra Confeſſarium Innocentem circa crimen Solicitationis, eſſe reſervatum Summo Pontifici. Secundum: hoc delictum eſſe reſervatum abſque aliqua Cenſura. Unde poſthàc ſequenda non eſt illa multorum Theologorum Sententia, quæ docebat: nullum delictum abſque Cenſura ſibi reſervare Summos Pontifices. Probatur ergo ſecunda Concluſionis pars, in primis quoad facultatem Bullæ Sanctæ Cruciatæ: ideo facultas conceſſa per Bullam Cruciatæ Confeſſario approbato, ut ipſe abſolvat á caſibus reſervatis Sedi Apoſtolicæ, non haberet locum in prædicto delicto falſæ Denuntiationis contra Innocententem Confeſſarium: quia hæc facultas Bullæ Cruciatæ eſſet revocata reſpectu delicti falſæ Denuntiationis per hanc novam Benedictinam Conſtitutionem; atqui per hanc novam Benedictinam Conſtitutionem non eſt revocata, adhuc reſpectu delicti falſæ Denuntiationis, facultas, conceſſa per Bullam Cruciatæ Confeſſario approbato, ut ipſe abſolvat á caſibus reſervatis Apoſtolicæ Sedi: ergo.

Probo minorem: ideo prædicta facultas Bullæ Cruciatæ diceretur revocata reſpectu delicti falſæ Denuntiationis, quia includeretur in illis verbis revocatorijs hujus Benedictinæ Conſtitutionis, nimirum: *á quocumque Sacerdote, quovis Privilegio, Authoritate, & Dignitate munito*; atqui in his verbis revocatorijs nequit hæc Benedictina Conſtitutio, includere facultatem prædictam Bullæ Cruciatæ: ergo. Probo minorem: hæc verba revocatoria: *á quocumque Sacerdote, quovis Privilegio, Authoritate, & Dignitate munito*, conſtituunt Clauſulam revocatoriam Generalem; atqui prædicta facultas Bullæ Cru-

Cruciatæ nequit revocari per Clauſulam revocatoriam Generalem: ergo.

Major patet: quia illa eſt Clauſula revocatoria Generalis, quæ non ſpecificat aliquod Privilegium, quod revocetur; ſed potiùs omninò in communi, & in genere dicit, revocari omnia Privilegia, & Indulta in contrarium. Hæc eſt doctrina, tùm noſtri Reiffenſtuel, tom. 5. in lib. 5. Decretal. tit. 33. *de Privilegiis*, §. 6. num. 140. tùm Curſus Salmantini tom. 4. tract. 18. *de Privilegiis*, cap. 2. punct. 4. §. 1. num. 38. tùm Fr. Petri ab Angelis in Speculo Privilegiorum, diſp. 4. ſect. 2. num. 5. Unde cùm prædicta Clauſula revocatoria, ſcilicet: *à quocumque Sacerdote, quovis Privilegio, Authoritate, & Dignitate munito*, nullum ſpecificet Privilegium, quod revocetur; ſed ſolùm in genere, ac in communi revocet Privilegia: hinc teneri debet pro Clauſula revocatoria Generali. Probo autem minorem: Privilegium, conceſſum per modum *Contractus*, nequit revocari per Clauſulam revocatoriam Generalem, quin in tali Clauſula addatur ſic: *etiamſi per modum Contractus fuerit conceſſum*, ut cum communi Doctorum docet Reiffenſtuel, ubi ſuprà, reſp. 4. num. 126: atqui prædicta facultas Bullæ Cruciatæ eſt Privilegium, conceſſum per modum *Contractus*, ſeu ut in ipſa Bulla hiſpanè dicitur: *Y por quanto vos diſteis*: & aliàs prædicta Clauſula revocatoria Generalis nullam facit mentionem de Privilegio, conceſſo per modum *Contractus*: ergo.

Suadetur adhuc: etiamſi pro tempore Iubilæi Anni Sancti, quod nunc conceditur poſt quemlibet vigeſimum quintum Annum, & per Bullam Cœnæ revocentur Privilegia, etiam Regibus conceſſa: nihilominùs, non revocantur Privilegia Bullæ Cruciatæ, eò quòd hæc Privilegia ſint conceſſa per modum *Contractus oneroſi, ſeu: por quanto vos diſteis*, quæ proin nequeunt revocari per Clauſulam revocatoriam Generalem, & abſque illorum expreſſa mentione: ergo pariter, nequit prædicta facultas Bullæ Cruciatæ revocari abſque illius expreſſa mentione, per illam hujus Benedictinæ Conſtitutionis Clauſulam revocatoriam Generalem: *à quocumque Sacerdote, quovis Privilegio, Authoritate, & Dignitate munito.* Antecedens

eſt

eſt ſententia communis, ut refer Pater Andreas Mendo in Bullam Sanctæ Cruciatæ, diſp. 2. cap. 7. num. 43. illamque tenet, tùm Pater Caſtro-Palao, tom. 4. tract. 25. diſp. unica, punct. 3. num. 5. tùm Curſus Salmantinus tom. 4. tract. 18. cap. 2. num. 30. & 39.

Probatur eadem ſecunda Concluſionis pars, reſpectu Privilegiorum Regularium: Confeſſarij Regulares, dùm ſint expoſiti á ſuis Prælatis, & ab Ordinarijs approbati, habent facultatem, ſeu Privilegium abſolvendi á caſibus, Sedi Apoſtolicæ reſervatis; atqui hoc Privilegium non revocatur hîc, & nunc á Beatiſſimo Patre noſtro Benedicto pro reſervatione falſæ Denuntiationis, per illam ſuam Clauſulam revocatoriam: *á quocumque Sacerdote, quovis Privilegio, Authoritate, & Dignitate munito:* ergo. Major, & ſi his temporibus nullam patiatur dubitationem, patet. Tùm: quia ſic fuit conceſſum á Sixto IV. Fratribus Ordinis Prædicatorum. Tùm: quia idem conceſſit Leo X. Fratribus Ordinis Minorum. Tùm: quia ipſum eiſdem Minoribus conceſſit Clemens VII. Tùm: quia id ipſum conceſſit Paulus III. Patribus Societatis Ieſu. Tùm: quia per Communicationem Privilegiorum hoc ipſum debet cenſeri conceſſum omnibus Ordinibus, habentibus talem Privilegiorum Communicationem. Videndus Reiffenſtuel tom. 5. in lib. 5. Decretal. tit. 7. *de Hæreticis*, §. 9. reſponſ. 4. num. 430. Videndus Rodriguez tom. 1. quæſt. 62. art. 1. Videndus Curſus Salmantinus tom. 4. tract. 18. cap. 4 punct. 2. §. 10. num. 153.

Quæ quidem Privilegia, Regularibus conceſſa, & duntaxat extra Italiam utenda, minimè fuerunt revocata per Decreta Clementis VIII. Tùm: quia, ut ex illorum verbis conſtat, illa Decreta non loquuntur de Religioſis, exiſtentibus extra Italiam; ſed de Religioſis, exiſtentibus intra Italiam, & extra Urbem, quibus fuit revocatum Privilegium abſolvendi á Caſibus, reſervatis Sedi Apoſtolicæ. Tùm: quia poſt prædicta Decreta Clementis VIII. adeſt quædam Declaratio Sacræ Congregationis, approbata ab Urbano VIII. die 17. Novembris, anno 1628. ubi legitur ſic: *ab alijs verò Caſibus* (hoc eſt, præter Caſu reſervatos in Bulla Cœnæ) & *Cenſuris Sedi Apoſtolicæ reſervatis, ſiquidem Regulares habeant á Sede Apoſtolica abſolvendi*

vendi facultatem, illam extra Italiam minimè ſublatam fuiſſe eiſdem Sacræ Congregationis Decretis, hac de re editis juſſu Sanctæ memoriæ Clementis VIII. Hæc pro illa majori.

Minor autem probatur: Clauſula revocatoria Beatiſſimi Benedicti, pro reſervatione delicti falſæ Denuntiationis, eſt Clauſula revocatoria Generalis, ut ſuprà probatum eſt; atqui prædictum Regularium Privilegium abſolvendi á Caſibus, reſervatis Sedi Apoſtolicæ, nequit revocari per Clauſulam revocatoriam Generalem: ergo. Hæc minor patet: in omni Theologorum, ac Canoniſtarum Sententia, per Clauſulam revocatoriam Generalem nequeunt revocari Privilegia *Remuneratoria*, quæ ut talia, ſunt munita illo alio celebri Privilegio: *de non revocari, quin de illis fiat ſpecialis mentio in Clauſula revocatoria*; atqui prædictum Regularium Privilegium abſolvendi á Caſibus, Sedi Apoſtolicæ reſervatis, cum cæteris Regularium Privilegijs, eſt *Remuneratorium*, in omnium etiam Sententia communi: ergo. Tam pro majori, quàm pro minori habemus communem Doctorum Sententiam. Enimverò, pro minori libet, ac lubet adducere Curſum Salmantinum tom. 4. tract. 18. *de Privilegijs*, cap. 1. punct. 3. num. 23. referentem nonnullos Summos Pontifices, palàm proteſtantes Regularium merita, ac proin munificè remunerantes illorum obſequia.

Sixtus enim IV. in ſua Bulla, edita 7. Kalendas Auguſti, anno 1489. in favorem Ordinis Prædicatorum, ſic loquitur: *quos pro eorum ampliſſimis meritis, & uberrimis fructibus, quos in Dei Eccleſiam continuò operantur, præ cæteris paterna charitate diligimus.* Pius V. in ſua Bulla, data 27. Kalendas Iulij, anno 1567. in favorem Mendicantium omnium, ſic ait: *ac ex inde pro ſuis ſanctis ſtudijs, honeſtiſſimiſque laboribus, proque ſalute animarum, ab Apoſtolica Sede, cujus continuè pacem Ordinis ipſi fortiter tutati ſunt, tam ſpiritualia, quàm temporalia ſubſidia, ornamentaque ſuſceperunt, & accipiunt.* Idem Paulus III. pro Societate Ieſu in ſua Bulla, incipiente: *Licet debitum.* Idem Clemens VIII. pro Carmelitis Diſcalceatis, in Bulla, quæ incipit: *Cùm dudùm.* Idem Alexander IV. pro Prædicatoribus, & Minoribus in Bulla, cujus initium. *Patris Æterni begninitas.* Sed ad quid plura?

Adhuc probatur: quia, ut docet Fr. Petrus ab Angelis in Speculo Privilegiorum, disp. 4. section. 4. num. 6. in Decretis Correctivis Concessionum antecedentium, cùm talia Decreta sint Odiosa, clausulæ illorum revocatoriæ non sunt extendendæ; sed potiùs restringendæ, quantùm permittit proprietas verborum; atqui proprietas verborum prædictæ Benedictinæ Clausulæ revocatoriæ Privilegiorum, pro reservatione delicti falsæ Denuntiationis, bene salvatur, restringendo talia verba ad sola illa Privilegia, quæ non indigent speciali mentione in revocatione: ergo illa revocatoria verba non sunt extendenda ad Privilegia, quæ in revocatione indigent speciali mentione, qualia sunt Regularium Privilegia. Accedit: quod in dubio melior est conditio possidentis; atqui circa Clausulam revocatoriam Generalem Privilegiorum, pro reservatione falsæ Denuntiationis, dubitant Authores Noviſſimi, an SSmus. Benedictus voluerit, revocare per illam Privilegia Regularium: ergo. Hinc Cursus Salmantinus, ubi suprà, cap. 2. punct. 3. num. 36. ex Sententia quinque gravium Authorum, quos citat, concludit: quòd in dubio non præsumitur, Privilegia Regularium esse revocata, nisi de revocatione constet.

Denique, pro utroque Privilegio, Cruciatæ scilicet, & Regularium, hæc ultima efformatur non contemnenda ratio: si Sanctissimus Benedictus voluisset revocare, tam Privilegia Bullæ Sanctæ Cruciatæ, quàm Regularium Privilegia, dùm Sedi Apostolicæ reservat Absolutionem delicti falsæ Denuntiationis: hanc suam mentem expressisset, sicut illam exprimit, quando præcipit, quòd Confessarius Complex in turpitudine non valeat absolvere suum Complicem, neque virtute Bullæ Cruciatæ, neque facultate Privilegiorum Regularium; atqui, cùm potuisset Sanctitas sua, hoc ipsum exprimere circa Absolutionem, reservatam, á delicto falsæ Denuntiationis; tamen illud non expressit: ergo quia noluit comprehendere in illa Clausula revocatoria Generali, Privilegia Cruciatæ, & Regularium.

ARGUMENTA SOLVUNTUR.

ARG. 1: illa verba revocatoria: *â quocumque Sacerdote, quovis Privilegio, Authoritate, & Dignitate munito*, includunt omnia Privilegia, ex ipsa proprietate verborum; atqui, si exciperentur Privilegia Bullæ Cruciatæ, & Regularium, jam illa revocatoria verba non includerent omnia Privilegia, contra illorum verborum proprietatem: ergo. Distinguo majorem: illa verba, &c. includunt omnia Privilegia, non habentia dignitatem *specialis mentionis in revocatione*, concedo; includunt omnia Privilegia, etiam habentia dignitatem *specialis mentionis in revocatione*, nego. Et distinguo minorem: si exciperentur, &c. non includerent omnia Privilegia, etiam habentia dignitatem *specialis mentionis in revocatione*, concedo; si exciperentur, &c. non includerent omnia Privilegia, non habentia dignitatem *specialis mentionis in revocatione*, nego minorem, & consequentiam.

Ut enim prædicta revocatoria verba, servata illorum proprietate, habeant suum effectum, sufficit, quòd in illis includantur, uti de facto includuntur, illa omnia Privilegia, quæ á Sancta Sede fuere concessa, absque illa gravi dignitate *specialis mentionis in revocatione:* cujusmodi sunt Privilegia *Gratiosa.* Cæterùm, ut prædicta revocatoria verba juxta illorum proprietatem habeant suum effectum non est necessarium, quòd in illis includantur etiam Privilegia, á Sede Sancta concessa cum dignitate *de non revocari, quin de illis fiat specialis mentio in revocatione:* cujusmodi sunt, tùm Privilegia Bullæ Cruciatæ, eò, quòd sunt concessa per modum *Contractus*; tùm Regularium Privilegia, eò quòd sint *Remuneratoria.*

Arg. 2: intentum Beatissimi Benedicti in reservatione delicti fallæ Denuntiationis contra Innocentem Confessarium, est, ut ipsemet exprimit his verbis: *ut tam nefaria audacia, & tam detestabile facinus metu magnitudinis pœnæ coërceatur*; atqui hæc pœna Reservationis non esset magna, si non revocarentur Privilegia Cruciatæ, & Regularium, cùm passim tales Delinquentes invenirent Confessarios privilegiatos, potentes illos á tali crimine absolvere: ergo. Concedo majorem, & ne-

go minorem. Ratio: quia etiam multi alij Casus fuerunt ab aliis Summis Pontificibus reservati eodem illo fine, nempe: *ut detestabilia facinora metu magnitudinis pœnæ coércerentur*: & nihilominùs, passim etiam Delinquentes possunt, invenire Confessarios privilegiatos, qui vel virtute Bullæ Cruciatæ, vel facultate Regularium Privilegiorum, possint illos ab illis delictis absolvere. Prætereà: ut illa pœna sit magna, sufficit, quòd Delinquentes non possint absolvi á quocumque Ordinario Confessario; sed quærere teneantur illiusmodi Confessarium privilegiatum.

Corollaria quædam.

PRimum: quòd ab hoc reservato delicto falsæ Denuntiationis contra innoxium Confessarium, Illmi. Episcopi, vi facultatis illis concessæ á Concilio Tridentino Sess. 24. cap. 6. possunt absolvere suos Subditos, dummodò tale delictum sit occultum. Ratio: quia per Clausulam revocatoriam, suprà sæpè memoratam, non revocatur tale Tridentini Privilegium, eò quòd de ipso Tridentino nulla fit in illis revocatoriis verbis *specialis mentio*: quod erat necessarium, ut revocaretur hoc Privilegium Tridentini. Imò estò tale delictum sit publicum, dummodò delinquens sit legitimè impeditus adeundi Apostolicam Sedem, poterunt Episcopi Illmi. suum Subditum, taliter delinquentem, absolvere. Sic de similibus deducit communis Doctorum ex cap. *De cætero*, & ex cap. *Nuper*, *de Sententia Excomunic.* eò quòd benignitas Summi Pontificis suadet, ipsum nolle sibi reservare Casus cum magno delinquentium detrimento. Videatur Cursus Salmantinus tom. 2. tract. 10. *de Censuris*, cap. 2. punct. 5. num. 63.

Secundum: quòd á præfata reservatione falsæ Denuntiationis possunt Prælati Regulares absolvere suos Subditos, tàm Fratres, quàm Sorores, seu Moniales. Nullam aptiorem rationem reddere valeo, quàm celebre Sancti Pij V. Privilegium hîc referre. Hic enim Pontifex Maximus, nolens, quòd Subditi Prælatorum Regularium essent deterioris Conditionis, quàm Subditi Episcoporum, id ipsum concessit Prælatis Ordinis Prædicatorum, & per Communicationem omnibus Prælatis

tis aliorum Ordinum, reſpectu ſuorum Subditorum, quòd Concilium Tridentinum Seſſ. 24. cap. 6. conceſſerat Illmis. Epiſcopis reſpectu Subditorum ſuorum. Verba Sancti Pontificis hæc ſunt: *quia Sacrum œcumenicum Concilium Generale Tridentinum conceſſit Epiſcopis, ut abſolvere poſſent in foro animæ, ſeu Conſcientiæ ab omnibus peccatis, & diſpenſare in Irregularitatibus, prout Seſſ. 24. cap. 6. habetur. Ne Prior Provincialis, & Superiores Prælati dicti Ordinis, tam in dicta Provincia, quàm extra eam ubilibet, in hac parte deterioris conditionis, quàm Clerici, & Sæculares, exiſtant: eiſdem Priori Conventuali, & Superioribus Prælatis, ut ipſi per ſe ipſos, idem omninò poſſint in Fratres, & Moniales dicti Ordinis, ſibi Subditos, quoad abſolvendi, & diſpenſandi hujuſmodi, quàm alias quaſcumque facultates eiſdem auctoritate, tenore, etiam perpetuò concedimus, & indulgemus: atque etiam declaramus, præſentes litteras perpetuò durare, & valere.* Hucuſque Privilegium, quod refert Curſus Salmantinus, ubi ſuprà, punct. 6. num. 72. citans pro illo noſtrum Rodriguez tom. 1. quæſt. Regular. quæſt. 61. art. 9.

Tertium: quòd á prædicto delicto falſæ Denuntiationis poteſt virtute Bullæ Cruciatæ Confeſſarius approbatus, abſolvere delinquentem toties quoties, dummodò tale delictum ſit occultum. Nam Confeſſarius approbatus, & electus per Bullam Cruciatæ, poteſt toties quoties abſolvere á Caſibus Papæ reſervatis, dum ſint occulti: quia dum ſunt occulti, fiunt Epiſcopales, eò quòd ex Tridentino, ubi ſuprà, competat Epiſcopis, abſovere á talibus occultis reſervatis Papæ. Si autem hoc delictum falſæ Denuntiationis fuerit publicum: tunc delinquens virtute Bullæ Cruciatæ tantùm poterit abſolvi ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis. Et ſi aſſumat ſibi duplicem Bullam Cruciatæ, poterit abſolvi bis in vita, & bis in articulo mortis. Sed valdè notandum: quòd cum in Bulla Cruciatæ, quando conceditur facultas abſolvendi á reſervatis, concedatur ſub hac Conditione: *Satisfacta parte*; hinc eſt, quòd Confeſſarius, adhuc virtute Cruciatæ, non poterit abſolvere illum, qui falsò denuntiavit innoxium Confeſſarium quin priùs reſtituat Innocenti Confeſſario ſuam famam coram Sacro Inquiſitionis Tribuna-

bunali, vel nisi ad minùs seriò promittat, hoc se quàm citiùs facturum.

Quartum: posse Confessarios Regulares, á suis Prælatis expositos, & ab Ordinario approbatos, absolvere extra Italiam, virtute suorum Privilegiorum, toties quoties hoc delictum falsæ Denuntiationis, sive sit occultum, sive sit publicum. Ratio: quia Regularium Privilegia sunt concessa absolutè, & absque ulla limitatione, ad absolvendum á Casibus, Papæ reservatis: & aliàs hæc facultas est valde Animabus Fidelium favorabilis. Ita deducitur ex doctrina Cursus Salmantini tom. 4. tract. 18. cap. 4. punct. 2. §. 10. num. 156. ubi pro hac Sententia, qui voluerit, enumerabit undecim Authores primæ Classis.

QUÆSTIO TERTIA:
qui comprehendantur in hac Reservatione falsæ Denuntiationis contra innoxium Confessarium?

QUoniam ferè in tota præsente quæstione utendum nobis est paritate, dessumpta ex Censuris: hinc præsupponendum est primò: aliud esse Censuram, aliud esse Reservationem, entitativè loquendo. Nam Censura est quædam temporanea pœna medicinalis, privans hominem Christianum usu aliquorum bonorum spiritualium: quippe Pia Mater Ecclesia hac utitur pœna, eo tantùm fine, ut peccator citiùs per emendationem, & correptionem sanetur. Reservatio verò nil aliud est, quàm negatio Iurisdictionis ad absolvendum aliquod peccatum. Cæterùm, quamvis ita entitativè distent Censura, & Reservatio, conveniunt in ratione finis: quandoquidem Censura, & Reservatio tendunt in emendationem, & correptionem peccatoris: ac proin utraque est pœna medicinalis.

Præsupponendum est secundò: quòd, ex nostro Mastrio tom. Theologiæ Moralis, disp. 13. *de Censuris*, quæst. 1. art. 3. num. 20. cum communi Sententia, illa Censura, quæ fertur contra facientem aliquid, non ligat, nec comprehendit Mandantes, vel Consulentes, nisi in ipsa sententia Censuræ exprimantur tales Mandantes, vel Consulentes. Ratio: quia ad incurren-

currendam Cenſuram requiritur actus perfectus,quantùm Lex requirit; atqui nudum Mandatum, vel nudum Conſilium, non eſt actus perfectus, quantùm Lex requirit, niſi exprimatur in ſententia Cenſuræ: ergo. Accedit: quòd Cenſura eſt odioſa; atqui in Odioſis ſtricta facienda eſt interpretatio: ergo.

Præſupponendum eſt tertio: quòd, ut ipſe Maldrius ibidem, ſub num. 21. docet, adhuc quando lata Cenſura exprimit Mandantes,& Conſulentes,ſi tales Conſulentes,& Mandantes revocant Mandatum,& Conſilium revocatione efficaci,antequàm commitatur delictum: tunc caſus,ſi adhuc Mandatus, vel Conſultus committat delictum,jam Mandantes,vel Conſulentes nequeunt incurrere prædictam Cenſuram.Ratio: quia in hoc caſu Mandantes,vel Conſulentes,media illa efficaci revocatione Conſilij,vel Mandati, nullum habent influxum in illud delictum, cui annexa eſt Cenſura, & quod unicè tribuendum eſt improbitati delinquentis. His præſuppoſitis, inquirit quæſtio: utrum prædictam Reſervationem delicti falſæ Denuntiationis non ſolùm incurrat ille, qui de facto impiè denuntiat innoxium Confeſſarium de falſo crimine *Solicitationis*: verùm etiam illam incurrant omnes illi, qui ad talem temerariam Denuntiationem concurrunt, vel ſuaſionibus, vel promiſſis, vel blanditijs,vel minis, vel alio quovis modo? Reſpondet

Conclusio: ex vi præſentis Benedictini Decreti, incurrunt etiam prædictam Reſervationem, latam contra falsò Denuntiantes innocentem Confeſſarium, omnes illi, qui quovis modo illam fieri procurant: ita tamen, ut de facto fiat talis injuſta Denuntiatio: ita etiam,ut Procurantes procuraverint efficaciter illam: atque ita, ut ipſi Procurantes non revocaverint efficaciter pravam voluntatem, ante executionem hujuſmodi falſæ Denuntiationis. Ex quatuor partibus coaleſcit Concluſio. Prima quidem nullam habet difficultatem:quandoquidem eſt expreſſa mens SSmi. Patris Benedicti in ſua Bulla,ſub num. 6. ibi: *ut igitur tam nefaria audacia, & tam deteſtabile facinus metu magnitudinis pœnæ coërceatur, quæcumque perſona, quæ execrabili hujuſmodi flagitio ſe inquinaverit*, vel *per ſe ipſum innocentes Confeſſarios impiè calumniando*, vel *ſceleſtè procurando, ut id ab alijs fiat*, &c.

Cæ-

Cæteras autem partes Concluſionis defendo,cum Docto Carmelita Diſcalceato Fr. Antonio á SSmo. Sacramento in additionibus ad tom. 7. Curſus Salmantini Moralis, cap. 6. punct. 4. §. 1. num. 230. Probatur igitur ſecunda pars: tunc Procurantes fieri prædictam impiam Denuntiationem,incurrunt Reſervationem,quando illam incurrit ipſe executor Denuntiationis; atqui ipſe executor Denuntiationis non incurrit Reſervationem, niſi actu, & de facto denuntiet: ergo. Patet minor ex ipſis Decreti verbis, ibi: *innoxios Sacerdotes apud Eccleſiaſticos Iudices falsò Solicitationis inſimulant*: ubi verbum illud *inſimulant*, cùm loquatur de tempore præſente, ſignificat faliam Denuntiationem actu, & de facto exhibitam.

Probatur tertia pars: in calu quæſtionis talis Procuratio requiritur, qualis valeat influere in iplam Denuntiationem; atqui ſola Procuratio efficax valet influere in ipſam Denuntiationem: ergo. Probatur minor: illa Procuratio valet influere in ipſam Denuntiationem, quæ ſit propriè cauſa,ex qua ſequatur effectus, tamquàm ex cauſa, ſine qua non fieret;atqui ſola Procuratio efficax eſt propriè cauſa, ex qua ſequatur Denuntiatio, tamquàm ex cauſa, ſine qua non fieret: ergo. Major rectè deducitur ex doctrina noſtri Maſtrij tom. Theologiæ Moralis, diſp. 7. *de Reſtitutione*, quæſt. 2. art. 1. num. 24. juxta mentem Subtilis Doctoris noſtri Scoti in 4. diſt. 15. quæſt. 2. art. 4. ibi: *requiritur enim, ut Conſilium, Mandatum, & aliæ Cauſæ Morales ſint propriæ Cauſæ, ut ex ipſis effectus ſequatur, tamquàm cauſis, ſine quibus non fieret: alioquin, ſi accedant, effectu jam determinato in alijs cauſis, & omnia ſunt determinata ad ejus executionem: Conſilium, & Conſenſus non habent rationem cauſæ, nec ullam determinationem inducunt effectui, ac proinde virtute ipſorum non cauſatur*. Hæc Maſtrius explicans Scotum.

Probatur quarta Concluſionis pars: ex ipſo Maſtrio, ubi ſuprà, num. 3. adhuc quando Cenſura exprimit Mandantes,& Conſulentes, ſi tales Conſulentes, & Mandantes revocant efficaciter Mandatum, & Conſilium, antequàm committatur delictum: tunc caſus, ſi adhuc Mandatus,& Conſultus committat, delictum, jam Mandantes, & Conſulentes nequeunt incurrere præ-

prædictam Cenſuram: ergo pariter, ſi Procurantes prædictam Denuntiationem falſam, revocant efficaciter ſuam voluntatem, antequàm Denuntiatio fiat: tunc, ſi adhuc fiat Denuntiatio, non incurrent prædictam Reſervationem. Accedit ratio: quia qui non influit proximè in ipſam falſam Denuntiationem, nequit incurrere Reſervationem illi annexam; atqui in caſu quæſtionis, illi Procurantes falſam Denuntiationem, dùm revocant efficaciter ſuam voluntatem, antequàm fiat Denuntiatio: ſi adhuc fiat, tunc Procurantes non influunt proximè in illam: ergo.

ARGUMENTA SOLVUNTUR.

ARG. 1. contra ultimam partem: quidam impiè procuravit efficaciter falſam Denuntiationem contra quemdam innoxium Confeſſarium; & antequàm fieret Denuntiatio, ipſe Procurator revocavit efficaciter ſuam voluntatem: at, cùm talis efficax revocatio non innotuiſſet Mandatario, denuntiavit de facto. Atqui in hoc caſu, etiamſi Procurator revocaverit efficaciter ſuam voluntatem, debet incurrere Reſervationem prædictam, cùm ipſe fuerit cauſa talis injuſtæ Denuntiationis: ergo. Huic meo argumento ſimilem inveni apud Curſum Salmantinum Moralem tom. 2. tract. 10. *de Cenſuris*, cap. 1. punct. 12. á num. 152. cum quo, ut reſpondeam, ſuppono: prædictum Procuratorem, non ſolùm revocaſſe efficaciter ſuam impiam voluntatem, verùm etiam procuraſſe efficaciter, quòd ejus revocatio innoteſceret Mandatario, antequàm fieret ab illo Denuntiatio. Hoc ſuppoſito, nego minorem argumenti: quippe in tali caſu Procurator duntaxàt eſt cauſa Phyſica illius Denuntiationis, non verò cauſa Moralis: ac proin Reſervationem non incurrit.

Ratio: quia quæcumque Reſervatio, tunc incurritur, quando committitur delictum, cui Reſervatio eſt annexa. At in caſu noſtro, quando actu fuit facta Denuntiatio, cui eſt annexa Reſervatio, tunc ille Procurator non commiſit talem falſam Denuntiationem, neque proximè influxit in illam: quandoquidem pro illo tunc, & de ejus impio Mandato erat perfectè contritus, & omnem efficacem diligentiam exhibuit, ut revocatio Mandati innoteſceret Mandatario, & non fieret Denuntiatio.

tiatio. Accedit: quòd, ut ſuprà dicebam, Reſervatio eſt pœna medicinalis, ordinata ad ſalutem ſpiritualem, ſeu emendationem peccatoris: ac proin, cum in caſu noſtro, antequàm fiat Denuntiatio, jam Procurator ſit ſanus ſpiritualiter, eò quòd jam ſit perfectè Contritus de illa impia Procuratione: adhuc ſi fiat Denuntiatio, non incurret Reſervationem, ſeu medicinam: *quia non eſt opus Valentibus Medico, ſed malè habentibus.*

Arg. 2. inſtando: in noſtro caſu ille Procurator, adhuc perfectè contritus, adhuc efficaciter revocans Mandatum, & adhuc efficaciter procurans, ne fiat illa Denuntiatio: tenetur ad Reſtitutionem famæ illius innoxij Confeſſarij, ſemel facta Denuntiatione: ergo pariter etiam incurret prædictam Reſervationem. Nego conſequentiam. Diſparitas eſt: quia qui alteri graviter nocet, adhuc poſt contritionem, adhuc poſt pœnitentiam, tenetur ad Reſtitutionem damni illati, eò quòd non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum. At, ut Reſervatio circa aliquod delictum incurratur, requiritur influxus proximus pro illo tunc, quando tale committitur delictum: quod utique non accidit in caſu noſtro. Unde ad Reſtitutionem famæ illius Innocentis Confeſſarij, faciendam quidem coram Sacro Inquiſitionis Tribunali, tenetur primò prædictus Procurator, utpotè illius damni cauſa principalis. Deficiente autem Procuratore, tenetur ille iniquus Mandatarius. Ita Maſtrius ex mente Scoti tom. Theologiæ Moralis, diſp. *7. de Reſtitutione*, quæſt. 2. art. 1. num. 25.

DISSERTATIO QUARTA: de Confeſſario Complice in turpitudine, erga ſuum Complicem abſolvendum extra mortis articulum.

LOngum expoſcit calamum Diſſertatio præſens, quæ proin in novem dividetur quæſtiones. Prima inquiret: quis nomine Complicis intelligatur in hac Benedictina Conſtitutione? Secunda: an ſub hac Conſtitutione com-

pre-

prehendatur turpis Complex in Sexu Masculino? Tertia: De quo Luxuriæ peccato hæc Constitutio intelligatur? Quarta: quam pœnam incurrat Confessarius Complex, absolvens suum turpem Complicem extra mortis articulum? Quinta: á quo absolvi possit ipse Confessarius Complex ab Excomunicatione Majori, á se contracta propter absolutionem collatam suo turpi Complici? Sexta: an extra mortis articulum possit Confessarius Complex, absolvere suum venereum Complicem, ob instans Præceptum annuæ Confessionis? Septima: quid faciat Confessarius Complex, ne accedat ad illum suus turpis Complex, quandò ipse sedet publicè pro excipiendis Confessionibus? Octava: an, qui ante Presbyteratum turpiter peccavit, possit jam Confessarius, excipere Confessionem sui Complicis in illo turpi peccato? Nona: an, cessante periculo iterum peccandi, possit Confessarius Complex, absolvere suum turpem Complicem extra mortis articulum? Sit autem

QUÆSTIO PRIMA:
quis nomine Complicis intelligatur in hac Benedictina Constitutione?

DUplicem distinguamus Complicem, cum utroque Authore Carmelita, Patre scilicet Magistro, & Doctore Fr. Iosepho Vincentio Diaz in suo Confessario instructo, punct. 4. num. 30. & Patre Fr. Antonio á SSmo. Sacramento in Additionibus ad tom. 7. Cursus Salmantini Moralis, cap. 6. punct. 4. §. 2. ánum. 241. Unus enim dicitur Complex formalis, ille scilicet, qui est particeps, & socius in crimine alterius. Alius dicitur Complex materialis, ille nimirum, qui absque ullo suo peccato se habet in crimine alterius purè terminativè. Unde loquendo circa materiam quæstionis: tunc Confessarius, & Pœnitens erunt Complices formales in peccato turpi, quando uterque peccaminosè concurrat ad turpitudinem. Tunc verò, vel Confessarius, vel Pœnitens erit Complex materialis, quando unus duntaxàt peccavit turpiter, altero se habente purè terminativè, & objectivè: & hic se habens purè

terminativè, & objectivè, dicitur Complex materialis. His declaratis, ſit

Conclusio: hæc Benedictina Conſtitutio loquitur de Complice turpi formali, non de Complice materiali: at ſecuriùs, & conformiùs menti SSmi. Patris Benedicti erit, Confeſſarium ſe abſtinere ab excipienda Confeſſione ſui in turpitudine Complicis materialis. Primam Concluſionis partem defendo, cum ſuprà laudatis Recentioribus Authoribus. Secundam verò partem ſtatuo, ni fallor, ex mente SSmi. Benedicti, ut patebit infrà. Probatur prima pars: verba Legis interpretari debent in illo ſenſu proprio, & naturali, quem habent ex communi hominum acceptione; atqui hæc vox *Complex in turpi*, in ſenſu proprio, & naturali, quem habet ex communi hominum acceptione, ſignificat Complicem formalem, ſeu ſocium in turpitudine alterius: ergo. Major eſt doctrina communis Doctorum, & illam expreſſè docet noſter Reiffenſtuel, tom. 1. in lib. 1. Decretal. tit 2. *de Conſtitutionib.* §. 16. Reg. 3. num. 390. habeturque arg. leg. ult. C. *de his, qui veniam ætatis*, &c. & cap. *Suſceptum, de Reſcript.* in 6. juncta Gloſſa ibidem, ℣. *Humani*, & ℣. *Non morte*. Minor verò patet, tùm ex ipſo Beatiſſimo Benedicto, qui in ſuo Brevi: *Apoſtolici muneris partes*, ſic expreſſè ſub num. 4. ait: *ac proinde in eo rerum ſtatu non prohiberi ſocio Criminis Sacerdoti*, &c. Tùm ex Dictionario Hiſpano, Iuridico, & Eccleſiaſtico.

Suadetur adhuc: hæc Apoſtolica Conſtitutio taliter debet interpretari, ut maneat ſemper, ſicut reverà, eſt, Iuſta, ex illo Divi Auguſtini, lib. 19. de Civitate Dei, cap. 12: *non ſunt dicenda jura, iniqua hominum inſtituta*. Atqui, ſi interpretaretur ita, ut etiam comprehenderet Complicem purè materialem, jam non maneret juſta: ergo. Liquet minor: Lex, quæ punit Innocentem, non eſt Iuſta; atqui, ſi hæc Conſtitutio interpretaretur ita, ut etiam comprehenderet Complicem purè materialem, jam puniret Innocentem: ergo. Hæc minor claret: quia Complex materialis in turpitudine ille dicitur, qui abſque aliqua culpa ſua, eſt purè terminus, & purè objectum turpitudinis alterius.

Unde ſi hic Complex purè materialis eſſet Confeſſarius,

tunc

tunc abſque ulla ſua culpa, privaretur Iuriſdictione ad abſolvendum: abſque ulla ſua culpa annullaretur ejus Abſolutio, ſi illam imperiret: abſque ulla ſua culpa incurreret Excomunicationem Majorem, Papæ reſervatam. Si autem hic Complex purè materialis eſſet Pœnitens, tunc abſque ulla ſua culpa, privaretur beneficio Abſolutionis: abſque ulla ſua culpa privaretur Privilegio Bullæ Cruciatæ eligendi Confeſſarium prædictum, ſi illum eligeret pro recipienda Abſolutione ab aliquo caſu, Papæ reſervato. Prætereà: hoc annalogum *Complex in turpi*, cùm in hac noſtra Conſtitutione ſtet per ſe ſumptum, debet etiam ſtare pro famoſiori ſuo ſignificato, ex communi Philoſophia; atqui famoſius ſignificatum illius eſt, Complex formalis, ſeu Socius in turpitudine: ergo. Denique: hæc Conſtitutio ex hac parte cùm ſit Odioſa, eſt reſtringenda, non amplianda; atqui, ſi interpretaretur ita, ut etiam comprehenderet Complicem purè materialem, jam ampliaretur: ergo.

Probo meam ſecundam Concluſionis partem: illud non licet Confeſſario in hac materia, quod opponitur menti SSmi. Patris Benedicti; atqui, quòd Confeſſarius excipiat Confeſſionem illius turpitudinis, in qua vel ipſe Confeſſarius, vel ipſe Pœnitens fuit Complex materialis, opponitur menti SSmi. Patris Benedicti: ergo. Major conſtat ex illa prima, & omnium maxima Regula, pro interpretatione Legum neceſſariò ſervanda: *Interpretatio Legis, potiùs menti Legiſlatoris, quàm verbis Legis convenire debet.* Minorem autem probo: mens expreſſa SSmi. Patris Benedicti in hac ſua Apoſtolica Sanctione eſt: *â Sacerdotalis Iudicij, & Sacri Tribunalis Sanctitate omnem turpitudinis occaſionem, & Sacramentorum contemptum, & Eccleſiæ injuriam longè ſummovere, & tam exitioſa hujuſmodi mala prorſus eliminare.* Verba ſunt Bullæ ſub num. 7. Atqui huic expreſſæ menti Pontificis Maximi Benedicti opponitur, quòd Confeſſarius excipiat Confeſſionem illius turpitudinis, in qua vel ipſe Confeſſarius, vel ipſe Pœnitens fuit Complex materialis: ergo.

Probo minorem: quidquid præbet occaſionem ipſi turpitudini, opponitur deſiderio *longè ſummovendi omnem turpitudinis occaſionem, & prorſus eliminandi tam exitioſa hujuſmo-*

jusmodi mala; atqui probabiliter præbet occasionem ipsi turpitudini, quòd Confessarius excipiat Confessionem illius turpitudinis, in qua vel ipse Confessarius, vel ipse Pœnitens fuit Complex materialis: ergo. Liquet hæc minor: quia si Confessarius fuit hic Complex materialis, cùm non sit Spiritus purus, sed homo carneus: si pro prima vice, & extra Confessionarium victor evasit á fœminæ Solicitatione; potest miserabiliùs labi intra Confessionem, dùm audiat turpem amorem talis fœminæ erga ipsum, turpia illius erga ipsum desideria, turpesque actiones. Si autem talis Complex materialis fuit ipsa Pœnitens fœmina, sequitur idem: nam cùm illa non sit ænea, sed vitrea, potest lamentabiliùs succumbere, si iterum á Confessario intra Confessionem solicitetur.

Concludendum. Sive Confessarius sit ille Complex materialis, sive talis materialis Complex sit Pœnitens, non comprehenditur in hac Constitutione sub nomine *Complicis in peccato turpi*: ac proin, si talis Confessarius excipiat hanc Confessionem, & Absolutionem impertiat, Absolutio erit valida, & ipse Confessarius non incurret Excommunicationem Majorem, de qua infrà. At ita illicitè administrabit, ut graviter peccet, eò quòd procedat contra intentionem expressam SSmi. Patris Benedicti, *magnoperè cupientis: à Sacerdotalis Iudicij, & Sacri Tribunalis Sanctitate omnem turpitudinis occasionem longè summovere, & tam exitiosa hujusmodi mala prorsus eliminare.*

Argumentum quoddam solvitur.

ARG. contra 1. partem: dato, quòd Confessarius sit talis Complex purè materialis, & ideo sit immunis á turpitudine Pœnitentis, adhuc debet privari Iurisdictione, & comprehendi in hac Constitutione sub nomine Complicis in turpi peccato: ergo ruit á fundamentis Conclusio. Probatur antecedens: in omni Reservatione privatur Confessarius Iurisdictione, ad absolvendos illos Casus reservatos; atqui absque ulla sua culpa privatur tali Iurisdictione: ergo pariter. Nego antecedens cum paritate. Ratio: quia Reservatio Casuum, cùm com-

communiter fiat in Odium ſolius Pœnitentis, conſequenter ſupponit innocentem Confeſſarium, & immunem ab illo reſervato delicto. At, cùm in hac Conſtitutione privatio Iuriſdictionis ſit pœna, lata tàm in Odium Pœnitentis, quàm in Odium Confeſſarij, nequit incurri abſque culpa tam Pœnitentis, quàm Confeſſarij. Imò hæc pœna principaliùs fertur in Odium Confeſſarij Complicis, ut ſatis exprimunt illa formidanda verba: *Sacrilegi quidem Dœmonis potiùs, quàm Dei Miniſtri.*

QUÆSTIO SECUNDA:

an ſub hac Conſtitutione comprehendatur turpis Complex in Sexu Maſculino?

PErbenè ad rem illud, quod habetur leg. *Pedius*, ff. *de Incend. Ruin. Naufrag.* ibi: *omninò, ut in cæteris ita in hujuſmodi cauſis, ex perſonarum conditione, & rerum qualitate diligenter pœnæ ſunt æſtimandæ: ne quid, aut duriùs, aut remiſſius conſtituatur, quàm cauſa poſtulabit.* Ita apud noſtrum Reiffenſtuel tom. 1. in lib. 1. Decretal. tit. 2. *de Conſtitutionib.* §. 17. num. 428. Reg. 3. Unde meritò impræſentiarum penſanda ſeriò venit, tùm conditio Naturæ lapſæ, pronæ in venerea ab adoleſcentia ſua: tùm qualitas quidem gravis hujus Apoſtolicæ Conſtitutionis: ne duriùs ſentiamus, ne remiſſiùs reſolvamus. His igitur benè penſatis, ſit

CONCLUSIO: ſub hac Apoſtolica Conſtitutione etiam comprehenditur turpis Complex in Sexu Maſculino. Ita Author Carmelita ex Obſervantibus, Pater Magiſter, & Doctor Diaz in ſuo Confeſſario inſtructo, punct. 9. num. 73. Probatur primò: præſens Conſtitutio, dum Confeſſarium Complicem privat Iuriſdictione, ad abſolvendum ſuum turpem Complicem, inquit ſub num. 7. *ſublata propterea illi, ipſo Iure, quacumque Authoritate, & Iuriſdictione, ad qualemcumque perſonam ab hujuſmodi culpa abſolvendam*; atqui illæ voces: *ad qualemcumque perſonam*, utrumque Sexum comprehendunt, tam fœmineum, quàm maſculinum: ergo. Patet minor: quia, ut docet citatus Author ex leg. *Ait Divus*, 16: *quicumque accipere debemus, tàm maſculam, quàm fœminam.*

Pro-

Probatur ſecundò: quia, ut docet noſter Reiffenſtuel, ubi ſuprà, num. 429. extenſio Legis, non tantùm favorabilis, ſed etiam Odioſæ, & pœnalis, ob adæquatæ rationis in Lege expreſſæ ſimilitudinem, ſeu identitatem, tàm intra, quàm extra judicium, rectè fieri poteſt, ac debet; atqui omnes rationes, ob quas prohibet hæc Conſtitutio, Confeſſarium Complicem abſolvere ſuam Fœminam Complicem turpem, inveniuntur etiam reſpectu turpis Complicis Maſculini: ergo. Probatur tertiò: hæc Conſtitutio generaliter, & indiſtinctè loquitur de qualicumque perſona Complice in turpitudine; atqui lus generaliter, & indiſtinctè loquens, generaliter, & indiſtinctè debet intelligi, ex cap. *Quia circa*, 22. *de Privileg.* & ex leg. *De pretio*, ff. *de Publician. in rem. act.* ac ex communi Doctorum: ergo. Probatur quartò: hæc Benedictina Conſtitutio, cùm ſit Confirmativa, & Ampliativa Conſtitutionis Gregorij XV. ita debet intelligi de Complice, ſicut Gregoriana intelligitur de Solicitante; atqui Gregoriana intelligitur, non ſolùm de Solicitante Fœminas, ſed etiam de Solicitante Maſculos: ergo.

QUÆSTIO TERTIA:
de quo Luxùriæ peccato intelligatur hæc Apoſtolica Conſtitutio?

LUxuria, quæ eſt inordinatus appetitus venereorum, cùm ex genere ſuo ſit peccatum mortale, non admittit parvitatem materiæ. Nihilominùs poteſt per accidens eſſe veniale peccatum, vel defectu plenæ advertentiæ, vel defectu perfectæ deliberationis, vel defectu utriuſque. Quam ob rem, circa præſentem quæſtionem prænotemus primò: hanc Pontificiam Conſtitutionem non loqui de peccato turpi, quòd ſit peccatum veniale. Ratio: quia eſtò poſſit Summus Pontifex, auferre á Confeſſario Iuriſdictionem, ne abſolvat aliqua peccata venialia, tamen inutilis foret omninò talis Reſervatio: quippe, ut inquit Maſtrius tom. Theologiæ Moralis, diſp. 21. quæſt. 9. num. 224. cùm nullà detur obligatio confitendi peccata venialia, poſſet homo de alijs confiteri, & ab illis abſol-

vi,

vi, non confeſſis illis venialibus. Etiam: quia veniale peccatum poteſt remitti extra Sacramentum Pœnitentiæ, vel per alia Sacramenta, vel per Contritionem, vel per Attritionem, vel per actum cujuſlibet Virtutis, qui æquè placeat Deo, ac veniale peccatum diſplicuit, ſi ad talem delectionem ille actus referatur ab operante, vel ſaltem ad hunc finem acceptetur á Deo. Eſt communis doctrina Scotiſtarum, duce Subtili Doctore noſtro Scoto in 4. diſt. 21. quæſt. 1. §: *in iſta quæſtione.* Videatur Maſtrius, ubi ſuprà, quæſt. 4. art. 1. á num. 82.

Accedit: quòd eſtò pro peccatis venialibus infligi poſſint Cenſuræ leves, ut Excommunicatio Minor, Suſpenſio levis: tamen pro ipſis venialibus peccatis infligi nequit Cenſura grata, vis, qualis eſt Excommunicatio Major. Sic, cum communi Doctorum, noſter Maſtrius, ubi ſuprà, diſp. 13. *de Cenſuris*, quæſt. 1. art. 3. num. 23. & habetur can. *Nemo Epiſcoporum*, & can. *Nullus Sacerdotum*, cauſ. 21. quæſt. 3. & monet Sacrum Tridentinum Seſſ. 25. cap. 3. ibi: *quamvis Excommunicationis gladius, &c.* Unde, cùm in hac nova Conſtitutione, non ſolùm privetur Confeſſarius Complex Iuriſdictione, ad abſolvendum ſuum Complicem á peccato turpi, in quo fuerunt Complices, verùm etiam feratur contra ipſum Excommunicatio Major, Sedi Apoſtolicæ reſervata, ſi adhuc poſt hanc Conſtitutionem audeat abſolvere: hinc hæc Conſtitutio neceſſariò debet intelligi de turpitudine, quæ ſit peccatum mortale. Idem propter idem dicendum eſt, de peccato turpi mortali, jam ritè confeſſo, & legitimè remiſſo. Sed ne, dùm audiat Confeſſarius iteratam Confeſſionem illius turpitudinis, in qua fuit Complex, aliqua luxuria excitetur, ſecuriùs eſſe judico, talem non admittere Confeſſionem, nec Pœnitentem talem.

Prænotemus ſecundò: quòd in hac Conſtitutione non comprehenduntur illa peccata turpia, quæ eſtò ſint mortalia, & eſtò ſint non confeſſa, ſunt tamen purè interna. Ratio: quia hæc Conſtitutio loquitur de illo peccato turpi, in quo fuerint formaliter Complices Confeſſarius, & Pœnitens; atqui in peccatis purè internis nequit dari Complicitas: ergo. Conſtat minor: quia communicare per conceptus eſt proprium Angelorum: nos autem homines communicamus per ſigna externa, ſenſi-

ſenſibiliter perceptibilia. Prænotemus tertiò: quòd in hac Conſtitutione non comprehenditur peccatum turpe dubium. Ita deducit Pater Fr. Antonius á SSmo. Sacramento, ubi infrà, ex doctrina noſtri Reiffenſtuel, qui quidem tom. Theologiæ Moralis, tract. 14. diſt. 9. quæſt. 1. num. 4 Concluſ. 3. ita expreſſè docet: *quoties detur dubium morale de reſervatione caſus, jam is non cenſetur reſervatus, ſive ſit dubium Iuris, ſive ſit dubium Facti: quia Reſervatio eſt valde Odioſa, & ſtrictè interpretanda, adeoque intelligi debet de caſibus certis, ac indubitatis.* Hæc Reiffenſtuel.

Prænotatis his, ſenſus quæſtionis eſt: an hæc Conſtitutio ſolùm loquatur de peccato turpi conſummato per Copulam: an etiam loquatur de quocumque turpi peccato, exteriùs manifeſtato, v. g. de Oſculo, amplexu, &c? Doctiſſimus Carmelita Diſcalceatus, Fr. Antonius á SSmo. Sacramento, in Additionibus ad tom. 7. Curſus Salmantini Moralis, cap. 6. punct. 4. §. 2. num. 281. & num. 282. duplicem proponit Sententiam, affirmativam unam, negativam aliam. Sed ipſe, poſthabita negativa Sententia, ſequitur affirmativam. Cui me lubenter ſubſcribente, ſit

Conclusio: hæc Nova Pontificia Conſtitutio, ſub peccato turpi contra Sextum Decalogi Præceptum, commiſſo, comprehendit, tam peccatum Luxuriæ per Copulam conſummatum, quàm quodlibet Luxuriæ peccatum, ſenſibiliter exteriùs manifeſtatum, v. g. Oſcula, Amplexus, Tactus, & cætera turpia. Ita laudatus Author, qui citat pro hac opinione Doctorem Azedo in Additionibus ad ſuum Opuſculum Theologicum, art. 2. per plures §§. Probatur primò: Lex generaliter loquens, debet extendi ad omnes illos actus, qui continentur ſub proprio ejus ſignificato, ut cum communi docet noſter Reiffenſtuel tom. 1. in lib. 1. Decret. tit. 2. *de Conſtitutionib.* §. 16. Reg. 4. num. 398. & habetur, tùm cap. *Quia circa* 22. *de Privileg.* ibi: *cùm nihil exceperit, & poterat excepiſſe.* Tùm ex illo vulgato: *ubi Lex non diſtinguit, neque nos diſtinguere debemus*, ſumpto ex leg. *De pretio*, ff. *de Publician. in rem act.* Atqui hæc Nova Pontificia Conſtitutio generaliter loquitur de peccato turpi, atque inhoneſto contra Sextum Decalogi

calogi Præceptum commisso: sub cujus proprio significato continentur Oscula turpia, tactus inhonesti: alioquin non essent contra Sextum Decalogi Præceptum: ergo.

Probatur secundo: Lex indefinitè loquens, æquivalet universali, tunc præcipuè, quando eadem est ratio in omnibus comprehensis sub illa indefinita locutione, ut cum communi Sententia docet noster Reiffenstuel, ubi suprà, Reg. 5. num. 400. & 401. & habetur can. *Si Romanorum*, dist. 19. ac cap. *Quia circa* 22. *de Privileg.* necnon leg. *Si ita relictum.* §. 1. ff. *de Legat.* 2. Atqui nostra Constitutio loquens de peccato turpi contra Sextum Decalogi Præceptum, loquitur indefinitè: & eadem est ratio turpitudinis in omnibus actibus inhonestis, comprehensis sub peccato contra Sextum Decalogi Præceptum: ergo. Minor liquet: quippe negabit nemo, Osculum impurum, Amplexum inhonestum, Tactum turpem, Verba luxuriosa, & similes venereos actus, esse peccata contra Sextum Decalogi Præceptum. Probatur tertiò: verba Legis sunt interpretanda secundùm propriam illorum significationem, ex nostro Reiffenstuel cum communi, ubi suprà, Reg. 3. num. 390. Atqui verba nostræ Constitutionis, secundùm propriam illorum significationem, comprehendunt omnia peccata turpia contra Sextum Decalogi Præceptum, sensibilia, ac exteriùs manifestata: ergo.

Probatur minor: ille est sensus naturalis, & proprius, quem verba habent ex communi hominum acceptione; atqui verba nostræ Constitutionis, nempe: *peccatum turpe contra Sextum Decalogi Præceptum*, ex communi hominum acceptione, non solùm significant Copulam consummatam, verùm etiam quemlibet actum venereum: ergo. Probatur quartò: quoties aliquod genus peccati censuratur, vel reservatur, consequenter intelligitur censuratum, & reservatum omne id, quod continetur sub illo genere, ut docet Glossa in cap. *Ad audientiam*, ℣. *Intelligeremus*, *de Decimis*, eò quòd genus univocè prædicatur de inferioribus; atqui peccatum turpe, & inhonestum contra Sextum Decalogi Præceptum, est genus ad omnia peccata turpia, quæ in materia Luxuriæ divagantur: ergo.

Probatur quintò: quando in aliqua Religione, vel Epis-

copatu reſervatur abſolutè peccatum contra Caſtitatem, tunc ſub illa Reſervatione cadit quælibet actio moraliter culpabilis, & exteriùs manifeſtata in materia Luxuriæ, ut expreſſe docet noſter Felix Poteſtas, agens de Caſibus Reſervatis Archiepiſcopo Panormitano, tom. 1. part. 4. cap. 5. num. 3600: ergo pariter: dùm noſtra Conſtitutio abſolutè privat Confeſſarium Iuriſdictione, ad abſolvendum ſuum Complicem in peccato turpi contra Sextum Decalogi Præceptum, ſub nomine abſoluto peccati contra Sextum Decalogi Præceptum, non ſolùm debet comprehendi Copula conſummata, verum etiam omnis actus turpis, exteriùs manifeſtatus.

Probatur ſextò: in omni Lege conſiderari debet finis ipſius Legis, ut cum communi doctrina docet noſter Reiffenſtuel, ubi ſuprà, R. g. 2. num. 386. Atqui finis noſtræ Conſtitutionis æquè verificatur, tam de Copula conſummata, quàm de quocumque actu turpi, exteriùs manifeſtato: ergo. Patet minor: quia finis noſtræ Conſtitutionis eſt: omnem turpitudinis occaſionem longè ſummovere á Sacerdotalis Iudicij, & Sacri Tribunalis Sanctitate, &c. Qui quidem finis æquè verificatur, tam de Copula conſummata, quàm de quocumque exteriori actu turpi: quandoquidem, modò magis, modò minùs, tàm Copula conſummata, quàm quilibet actus turpis, opponitur Sanctitati Sacri Tribunalis, & Sacerdotalis Iudicij: cedit in contemptū Sacramenti Pœnitentiæ, & in injuriam Eccleſiæ, &c.

Probatur tandem, ab inconvenientibus. Siquidem ex contraria Sententia ſequeretur: quòd aliquis Confeſſarius Complex in turpitudine, videns, quòd hæc Conſtitutio ſolùm loqueretur de Copula conſummata: ipſe duntaxàt curaret, non conſummare Copulam. At de Pollutionibus, de Tactibus turpiſſimis, nihil omninò curaret: quibus quotidiè habitis, poſſet toties quoties, abſolvere libenter ſuam turpiſſimam fœminam Complicem. Quid ad hæc? Conſequetur ſic Finis hujus Sanctiſſimæ, atque Iuſtiſſimæ Conſtitutionis? Non capio. Quæſtionem concludo, notans: ſtatutam Concluſionem etiam defendere, calamo licèt breviſſimo, Americanum noſtrum, Patrem, & Doctorem Ioannem Antonium de Oviedo, in ſuo Succo Morali, diſp. 2. ſect. 9. num. 14. qui citat Fr. Gaſparem á Sancto Nicolao.

AR-

ARGUMENTA SOLVUNTUR.

ARG. 1. quæcumque Lex, prohibens aliquid sub aliqua pœna, intelligitur de actu perfecto, & consummato, eò quòd pœnæ sint strictè interpretandæ: ergo hæc Constitutio, quæ prohibet Absolutionem, conferendam Complici turpi in peccato contra Sextum Decalogi Præceptum, debet strictè interpretari de Copula consummata. Distinguo antecedens: quæcumque Lex, &c. si aliud non constet ex proprietate verborum ipsius Legis, concedo; si aliud constet ex proprietate verborum ipsius Legis, nego, & consequentiam. Sæpè dixi, tam in corpore hujus quæstionis, quàm alibi, quòd una ex præcipuis Regulis, necessariò apud Doctores servandis pro legitima Legum interpretatione, est, quòd semper servetur proprietas verborum Legis. Cùm ergo ex proprietate verborum hujus Constitutionis, peccatum contra Sextum Decalogi Præceptum intelligatur, tam de Copula consummata, quàm de quocumque alio acto turpi, exteriùs manifestato, ut manet probatum: hinc est, quòd hæc Constitutio intelligi debet de quocumque actu exteriori turpi.

Arg. 2. paritate multiplici. Prima: Impedimentum Affinitatis non resultat, nisi ex copula consummata: ergo pariter. Secunda: Adulterium cum machinatione mortis alteriùs Conjugis, non inducit Impedimentum, nisi fuerit consummatum: ergo pariter. Tertia: Bigamia non contrahitur, nisi ob duo Matrimonia consummata: ergo pariter. Quarta: pœnæ impositæ contra Sodomitas non incurruntur, nisi per Sodomiam consummatam: ergo pariter. Concessis antecedentibus, nego consequentias. Ratio: quia in prædictis Casibus reservatur delictum in specie propria, seu infima, seu determinata: ac proin latæ pœnæ contra illud intelliguntur, de delicto consummato. At nostra Constitutio, non loquitur de peccato turpi in aliqua specie propria, seu infima, seu determinata; sed potiùs loquitur de peccato turpi, in genere sumpto: quocircà intelligi debet de omni actu exteriori turpi contra Sextum Decalogi Præceptum.

QUÆS-

QUÆSTIO QUARTA:
quam pœnam incurrat Confessarius Complex, absolvens suum turpem Complicem extra mortis articulum?

HÆC in hac materia omnium Maxima quæstio: hæc veluti Scopus Beatissimi Patris Benedicti XIV: imò hoc opus nonnullorum Episcoporum pro suis Episcopatibus, & hic labor omnium Theologorum. Antehàc enim plures Illmi. Episcopi in suis Synodalibus Constitutionibus strictè prohibuerant, Confessarium audire Confessionem sui in turpitudine Complicis. Sic de Episcopatu Mediolanensi testatur Bonacina disp. 5. *de Sacram.* quæst. 5. punct. 5. á num. 10 apud La-Croix tom. 2. lib. 6. part. 2. num. 1204. Sic ipse Pater La-Croix ibidem refert de sua Diœcesi Colonienſi, de Diœcesi Ruræmundana,& de Diœcesi Leodiensi. Sic de Diœcesibus Toletana, Salmantina,& alijs Hispanis refert novissimus Author Carmelita ex Observantibus, Pater Magister,& Doctor Diaz in suo Confessario instructo, punct. 5. num. 42. Ad quid plura? Sic ipsemet SSmus. Benedictus refert in hac sua Constitutione, sub num. 7. ibi: *quemadmodum â pluribus Episcopis per Synodales suas Constitutiones jam factum esse novimus.*

Pariter antehàc jam insudaverant gravissimi Theologi, seriò monentes Confessarios abstinentiam ab exceptione Confessionis sui in turpitudine Complicis. Sufficiat unus pro millibus, Theologorum scilicet Princeps, Angelicus Doctor, Divus Thomas: qui quidem, etsi docuisset, Absolutionem collatam Complici turpi esse validam, eò quòd tunc temporis nullum esset ius, prohibens, ac irritans talem Absolutionem: tamen sic de more optimè notat; *in tali casu, nec Sacerdos debet audire Confessionem Mulieris, cum qua peccavit, de illo peccato; sed debet ad alium mittere: nec illa debet ei confiteri = si tamen absolveret, absoluta esset.* Hæc Doctor Angelicus in Additionibus ad 3. part. quæst. 20. art. 2. ad 1. His tamen

non

non valentibus, retrahere Confeſſarium ab audienda ſui in turpitudine Complicis Confeſſione; Beatiſſimus Benedictus XIV. ultimam impoſuit manum, ut ſequitur

Conclusio: neque virtute Bullæ Sanctæ Cruciatæ, neque facultate cujuſcumque Iubilæi, aut alterius cujuſlibet Indulti, poteſt Confeſſarius Complex, abſolvere validè ſuum in turpitudine Complicem, extra mortis articulum: ita, ut ſi abſolvere audeat, Abſolutio eſt omninò nulla, & ipſe Confeſſarius Complex incurrit ipſo facto Excommunicationem Majorem, Sedi Apoſtolicæ reſervatam. Hæc Concluſio eſt ferè littera hujus Apoſtolicæ Conſtitutionis, ut patet ex Textu, ſub num. 7. §: *Demùm, magnopere cupientes.* Ubi ſtatim duo notanda. Primum: quòd poſt hanc Conſtitutionem ſequi non poteſt illa Sententia, docens: eſſe validam Abſolutionem, á Confeſſario Complice collatam ſuo turpi Complici. Secundum: quòd prædicta Excommunicatio Major, reſervata Sedi Sanctæ, non eſt Cenſura Ferenda, ſed Lata: ac proin, ſi audeat Confeſſarius abſolvere ſuum turpem Complicem, mox incurrit illam.

QUÆSTIO QUINTA:
á quo poſſit abſolvi Confeſſarius Complex ab Excommunicatione Majori, quam contraxit propter Abſolutionem, á ſe collatam ſuo turpi Complici?

Circa præſentem graviſſimam difficultatem, duplicem invenio oppoſitam Sententiam. Prima defendit: Confeſſarium audentem abſolvere ſuum venereum Complicem extra mortis articulum, poſſe abſolvi pariter extra mortis articulum, ab Excommunicatione Majori, reſervata, quam ipſo facto incurrit, tùm á Confeſſario Sæculari approbato, virtute Bullæ Sanctæ Cruciatæ; tùm á Confeſſario Regulari approbato, facultate Regularium Privilegiorum. Pro hac Sententia Author Carmelita ex Diſcalceatis, Fr. Antonius á SSmo. Sacramento in Additionibus ad tom. 7. Curſus Salmanti-

mantini Moralis, cap. 6. punct. 4. §. 1. num. 214. citat alterum Carmelitam ex Obſervantibus, Patrem Magiſtrum, & Doctorem Diaz in ſuo Confeſſario inſtructo, punct. 12. num. 98 noſtrum Minoritam Redal in ſua Expoſitione hujus Conſtitutionis, num. 60. atque Doctorem Azedo in ſuo Opuſculo Theologico, quæſt. 3. num. 83.

Secunda Sententia tenet: prædictum Complicem Confeſſarium, extra mortis articulum non poſſe abſolvi á prædicta Excommunicatione reſervata, neque virtute Bullæ Cruciatæ, neque facultate Privilegiorum Regularium. Pro hac Sententia laudatus Pater Fr. Antonius á SSmo. Sacramento citat alterum noſtrum Minoritam Fr. Ioannem Sanz Lopez in ſua Expoſitione hujus Conſtitutionis, quæſt. 18. Concluſ. 3. num. 148. & infrà. Sed quid Pater Fr. Antonius á SSmo. Sacramento? Non ego pro illo, ſed ipſe reſpondeat pro ſe. Ait enim, ubi ſuprà, §. 2. num. 301. in fine, ſic: *& licèt vigore rationum partis affirmativæ preſſi, huic Sententiæ aliquando adhærere decreverimus: ne proprio judicio erraremus, dictamini Superiorum libenti animo obtemperantes, qui quidem invenerunt majorem difficultatem in Abſolutione hujus Excommunicationis, quàm Reſervationis impij Calumniatoris, propter declarationem á Pontifice factam in ſua Conſtitutione: Apoſtolici muneris: in negativam Sententiam inclinamur.* Hæc Doctus Pater. Unde pro Sententia negativa habemus prædictum Minoritam Sanz Lopez, & ipſum Fr. Antonium á SSmo. Sacramento, cum ſuis Doctis Superioribus. Sit autem

Conclusio: Excommunicatio Major, quam ipſo facto incurrit Confeſſarius Complex, abſolvens extra mortis articulum ſuum in turpitudine Complicem, ita eſt Apoſtolicæ Sedi reſervata, ut extra mortis articulum abſolvi nequeat, neque á Confeſſario Sæculari virtute Bullæ Sanctæ Cruciatæ, neque á Confeſſario Regulari facultate Regularium Privilegiorum. Pro hac negativa Concluſione habemus, ſuprà immediatè citatos Authores. Probatur ergo primò: tunc ab hac Excommunicatione Majori, reſervata Sedi Sanctæ, poſſet aliquis Confeſſarius, vel virtute Bullæ Cruciatæ, vel facultate Regularium Privilegiorum, abſolvere extra articulum mortis Confeſſarium Complicem

plicem: quando in clauſula revocatoria Privilegiorum pro reſervatione hujus Excommunicationis, non revocarentur per *ſpecialem mentionem* Privilegia Bullæ Cruciatæ, & Privilegia Regularium; atqui in Clauſula revocatoria Privilegiorum pro reſervatione hujus Excommunicationis, revocantur per *ſpecialem mentionem* Privilegia Bullæ Cruciatæ, & Privilegia Regularium: ergo.

Liquet minor ex verbis ipſius Bullæ, ſub num. 7. ibi: *non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, præſertim quæ nuncupantur Cruciatæ Santæ, vel Iubilæi univerſalis, & plenarij, necnon quibuſvis Eccleſiarum, & Monaſteriorum, & Ordinum quorumlibet, quorum ipſi Sacerdotes fuerint, etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis*, &c. Probatur ſecundò: ideo per Authores Sententiæ Contrariæ, prædicta Clauſula: *non obſtantibus*, &c. revocatoria Privilegiorum Cruciatæ, & Regularium, non deberet intelligi directè, & principaliter de reſervatione hujus Excommunicationis: quia deberet intelligi principaliter, & directè de privatione Iuriſdictionis ad abſolvendum Complicem, & de annullatione Abſolutionis, ſi illam attentet conferre Confeſſarius Complex; atqui prædicta Clauſula: *non obſtantibus*, &c. revocatoria Privilegiorum Cruciatæ, & Regularium, debet intelligi directè, & principaliter, de reſervatione hujus Excommunicationis Majoris, & non de illa privatione Iuriſdictionis ad abſolvendum Complicem, nec de annullatione Abſolutionis, ſi illam attentet: ergo.

Probatur minor: prædicta Clauſula: *non obſtantibus*, &c. revocatoria Privilegiorum Cruciatæ, & Regularium, debet intelligi principaliter, & directè de illo Articulo, pro quo non eſt lata priùs in eodem Bullæ paragrapho alia Clauſula revocatoria Privilegiorum Cruciatæ, & Regularium; atqui pro privatione Iuriſdictionis ad abſolvendum Complicem, & pro annullatione Abſolutionis, ſi illam conferat Sacerdos Complex, eſt priùs lata in eodem Bullæ paragrapho alia Clauſula revocatoria Privilegiorum Cruciatæ, & Regularium: ergo prædicta Clauſula: *non obſtantibus*, &c. revocatoria Privilegiorum Cruciatæ, & Regularium, debet intelligi directè, & principaliter de

reſervatione hujus Excommunicationis Majoris; non verò de illa privatione Iuriſdictionis, &c.

Patet minor ex ipſo Bullæ Textu, ſub eodem num. 7. ibi: *declarantes etiam, & decernentes, quòd nec etiam in vim cujuſcumque Jubilæi, aut etiam Bullæ, quæ appellatur Cruciatæ Sanctæ, aut alterius cujuſlibet Indulti, Confeſſionem dicti Complicis hujuſmodi quiſquam valeat excipere, eique Sacramentalem Abſolutionem elargiri: cùm ad hunc effectum, & in hoc caſu, nullus Confeſſarius, utpotè qui in hujuſmodi peccati, & pœnitentis genere, Iuriſdictione, ut præfertur, careat, & abſolvendi facultate â nobis privatus exiſtat, habendus ſit pro Confeſſario legitimo, & approbato.* Probatur tertiò: ex doctrina communi, quam docet noſter Reiffenſtuel in Procœmio ad Lib. Decretal. tom. 1. §. 7. num. 113. in omni Conſtitutione Canonica eſt vitanda verborum ſuperfluitas; atqui, ſi prædicta Clauſula: *non obſtantibus*, &c. revocatoria Privilegiorum Cruciatæ, & Regularium, deberet intelligi principaliter, & directè de privatione Iuriſdictionis ad abſolvendum Complicem, & de annullatione Abſolutionis, ſi illam Confeſſarius Complex conferat: tunc omninò jam ſuperflueret: ergo.

Probatur minor: Clauſula revocatoria illius Articuli, qui jam eſt revocatus, omninò redundat, ſeu omninò ſuperfluit; atqui revocatio Privilegiorum Cruciatæ, & Regularium pro privatione Iuriſdictionis ad abſolvendum Complicem, & pro annullatione Abſolutionis, ſi illam attentet Complex Confeſſarius: jam ſufficientiſſimè eſt lata in Clauſula illa revocatoria hujuſmodi Privilegiorum, clariſſimis, ac expreſſiſſimis verbis, ibi: *declarantes etiam, & decernentes*, &c. ergo ſi iterum revocentur Privilegia Cruciatæ, & Regularium pro illa privatione Iuriſdictionis, & pro illa annullatione Abſolutionis, per illa verba revocatoria: *non obſtantibus*, &c. hæccine verba revocatoria ſuperfluent, & redundabunt.

Probatur quartò: in hoc eodem paragrapho hujus Apoſtolicæ Sanctionis, & eſt duplex Articulus, & eſt duplex Revocatio Privilegiorum, tam Bullæ Cruciatæ, quàm Regularium. Primus Articulus eſt: privare Iuriſdictione Confeſſarium Complicem, ad abſolvendum ſuum turpem Complicem, & annulla-

re

re Abſolutionem, ſi quam impertierit. Secundus Articulus eſt: ferre Excommunicationem Majorem, Sedi Apoſtolicæ reſervatam, contra ipſum Complicem Confeſſarium, ſi adhuc poſt privationem attentet, illum ſuum Complicem turpem abſolvere. Prima autem Revocatio Privilegiorum Cruciatæ, & Regularium exprimitur in illis verbis revocatorijs: *declarantes etiam, & decernentes*, &c. Secunda verò Revocatio eorumdem Privilegiorum Cruciatæ, & Regularium, continetur in illa ſequente revocatoria Clauſula: *non obſtantibus*, &c. Atqui prima illa Clauſula: *declarantes etiam, & decernentes*, &c. revocat Privilegia Cruciatæ, & Regularium principaliter, ac directè pro illa privatione Iuriſdictionis, ad abſolvendum, & pro illa annullatione Abſolutionis attentatæ: ergo ſequens illa Clauſula revocatoria: *non obſtantibus*, &c. revocat Privilegia Cruciatæ, & Regularium, directè, & principaliter pro Reſervatione illius Excommunicationis Majoris, latæ contra Confeſſarium, audentem abſolvere ſuum turpem Complicem extra mortis articulum.

ARGUMENTA SOLVUNTUR.

ARG. 1: prædicta Clauſula: *non obſtantibus*, &c. revocatoria Privilegiorum Cruciatæ, & Regularium, utpotè poſita de ſtylo Romanæ Curiæ in fine hujus Apoſtolicæ Conſtitutionis, debet referri ad omnia contenta in ipſa Conſtitutione: ac proin referri quoque debet ad delictum falſæ Denuntiationis contra Innoxium Confeſſarium, etiam reſervatum Sedi Apoſtolicæ; atqui etiamſi prædicta Clauſula: *non obſtantibus*, &c. revocatoria Privilegiorum Cruciatæ, & Regularium, referatur ad delictum prædictæ falſæ Denuntiationis, reſervatæ Apoſtolicæ Sedi: tamen, tamen, poteſt Confeſſarius Sæcularis virtute Bullæ Cruciatæ, & Confeſſarius Regularis facultate Privilegiorum Regularium, abſolvere illum, qui falsò denuntiat, ut dictum, & probatum eſt Diſſertat. 3. quæſt. 2. hujus Tractatus: ergo pariter, etiamſi prædicta Clauſula *non obſtantibus*, &c. revocatoria Privilegiorum Cruciatæ, & Regularium, referatur ad Excommunicationem Majorem, reſerva-

tam Sedi Apoſtolicæ, & latam contra Confeſſarium, audentem abſolvere ſuum turpem Complicem: poterit nihilominùs hæccine Excommunicatio reſervata, abſolvi, tùm á Confeſſario Sæculari virtute Cruciatæ, tùm á Regulari facultate Regularium Privilegiorum.

Huic á me pro Sententia contraria excitato Argumento, reſpondeo, negando majorem: In tantùm enim prædicta Clauſula: *non obſtantibus*, &c. revocatoria Privilegiorum Cruciatæ, & Regularium, poſita in fine hujus Conſtitutionis, deberet referri ad omnia contenta in ipſa Conſtitutione, & conſequenter ad delictum falſæ Denuntiationis, reſervatum Sedi Sanctæ: quatenùs eadem eſſet ratio pro omnibus Articulis, de quibus agit hæc Conſtitutio. Quod quidem non eſt ita, imò eſt contrarium, ut legenti Bullam: *Sacramentum Pœnitentiæ*, clariſſimè conſtabit. Illa namque Clauſula: *non obſtantibus*, &c. revocatoria Privilegiorum Cruciatæ, & Regularium, ponitur in fine ultimi paragraphi: in quo paragrapho agit Beatiſſimus Benedictus de privatione Iuriſdictionis, ad abſolvendum turpem Complicem: agit de annullatione Abſolutionis hujuſmodi: & agit de Excommunicatione Majori, reſervata Sedi Sanctæ. De delicto autem falſæ Denuntiationis, & de ejus reſervatione ad ipſam Sedem Sanctam, agit Sanctitas Benedicti in alio diſtincto paragrapho.

Qui quidem Articuli, contenti in quolibet paragrapho diverſo, omninò habent diverſam rationem. Nam ratio pro delicto falſæ Denuntiationis, & pro ejus reſervatione, eſt coërcere impietatem aliquorum improborum hominum, & favere innocentiæ Innoxij Confeſſarij. Ratio verò pro privatione Iuriſdictionis ad abſolvendum venereum Complicem, & pro annullatione Abſolutionis, ac pro Excommunicatione Majori reſervata, eſt tollere Sacrilegas injurias á Sacramento Pœnitentiæ, & amovere Confeſſarios á Concubinatu. Quæ rationes (quiſque Theologus conſideret) diſtant tantùm ab invicem, quantùm diſtat Ortus ab Occidente. Unde illa Clauſula *non obſtantibus*, &c. revocatoria Privilegiorum Cruciatæ, & Regularium, poſita in fine ultimi paragraphi, in quo agit hæc Conſtitutio de privatione Iuriſdictionis, de annullatione Abſolutionis,

nis,

nis,& de Excommunicatione reſervata, in ipſomet ultimo paragrapho debet habere ſuum revocatorium effectum: quin debeat extendi ad alium paragraphum, in quo agitur de alio Articulo omninò diverſo, nempè, de falſa Denuntiatione reſervata. Ad rem Fr. Antonius á SSmo. Sacramento, ubi ſuprà, num. 222. ubi citans Donatum, Bartholum, Capiccium, Lezanam, Sanchez, & ferè communem Sententiam, docet: quòd Revocatio, cùm ſit Odioſa, & ideo reſtringenda, dum ponitur in ultimo paragrapho alicujus Decreti Apoſtolici, ſive ſit in principio, ſivè ſit in medio, ſive ſit in fine: non debet referri ad alium paragraphum, continentem diverſam materiam, & ſub diverſa ratione.

Arg. 2: inter allegata pro Concluſione probanda, diximus: quod per illam Clauſulam revocatoriam: *declarantes etiam, & decernentes*, &c. revocantur, præter Privilegia Bullæ Cruciatæ, quæ utique expreſſè revocantur, etiam Regularium Privilegia per illa verba: *aut alterius cujuſlibet Indulti*; atqui per hæc verba nequeunt revocari Regularium Privilegia: ergo. Liquet minor: quia ex dictis Diſſertat. 3. quæſt. 2. Privilegia Regularium nequeunt revocari, quin de illis fiat *ſpecialis mentio* in Revocatione, eò quòd ſint Privilegia *Remuneratoria*. Conceſſa majori, diſtinguo minorem: per illa revocatoria verba: *aut alterius cujuſlibet Indulti*, nequeunt revocari expreſſè Privilegia Regularium, concedo; nequeunt revocari tacitè, nego, & conſequentiam. In Interpretatione namque Legum potiùs attendenda eſt mens, ſeu intentio Legiſlatoris, quàm ſonus verborum Legis, eò quòd intentio Legiſlatoris ſit anima Legis, ex can. *Humanæ aures*, cauſ. 24. quæſt. 5. ibi: *non debet aliquis verba conſiderare, ſed voluntatem, & intentionem: quia non debet intentio verbis deſervire, ſed verba intentioni.* Concordat, tùm Reg. 88. *de Regulis Iuris*, in 6. ibi: *certum eſt, quòd is committat in Legem, qui Legis verba complectens, contra Legis nititur voluntatem*: Tùm lex: *Scire*, 16. ff. *de Legibus*, ibi: *Scire Leges, non hoc eſt, verba earum tenere, ſed vim, ac poteſtatem.*

Mens igitur, & expreſſiſſima intentio SSmi. Patris Benedicti in illa Clauſula revocatoria: *declarantes etiam, & decer-*

nen-

nentes, &c. eſt: omnem prorſus, & omni modo, auferre á Confeſſario Complice Iuriſdictionem, ad abſolvendum extra mortis articulum ſuum turpem Complicem. Hinc expreſſè revocat Privilegia Cruciatæ: eò quòd Bulla Cruciatæ conferat Confeſſarijs facultatem ad abſolvendum. Hinc expreſſè revocat Privilegia cujuſcumque Iubilæi: eò etiam quòd Iubilæus tribuat Confeſſariis Iuriſdictionem ad abſolvendum. Unde cùm etiam Privilegia Regularium conferant Confeſſariis Regularibus Iuriſdictionem ad abſolvendum: neceſſariò debent intelligi revocata, ſaltem tacitè, per illa verba revocatoria: *aut alterius cujuſlibet Indulti*: quandoquidem ubi eadem eſt ratio, eadem eſt Iuris diſpoſitio, ex cap. *Inter corporalia, de Tranſlatione Epiſcoporum*, ex leg. *Ideo*, ff. *de Legibus*, & ex ſimilibus. Alioquin enim tota rueret intentio SSmi. Benedicti in illa Clauſula revocatoria, reſpectu Confeſſarij Regularis: quippe (quod abſit) ſi talis Confeſſarius Complex eſſet Regularis, adhuc á Sede Apoſtolica privatus Iuriſdictione ad abſolvendum ſuum turpem Complicem, poſſet attentare illum abſolvere, confidens in ſuis Regularibus Privilegiis.

Triplex Corollarium.

PRimùm. Si Confeſſarius incurrens prædictam Excommunicationem Majorem, Papæ reſervatam, fuerit Subditus Epiſcopi: poteſt ipſe Illmus. Epiſcopus, illum ab illa abſolvere, dummodò talis Excommunicatio ſit occulta. Ratio: quia hæc facultas eſt conceſſa Illmis. Epiſcopis á Concilio Tridentino Seſſ. 24. cap. 6. incipiente: *Liceat Epiſcopis*, tit. *de Reformatione*. Quæ facultas nequit revocari, quin in clauſula revocatoria fiat de illa *ſpecialis mentio*: quod non contingit in noſtra prædicta Clauſula revocatoria: *non obſtantibus, &c.*

Secundum. Adhuc poterit ipſe Illmus. Epiſcopus abſolvere ſuum Confeſſarium Subditum ab hac reſervata Excommunicatione, etiamſi ſit publica, dummodò detur legitimum impedimentum, propter quod Confeſſarius taliter Excommunicatus, non poſſit Sedem adire Apoſtolicam.

Tertium. Idem poſſunt Prælati Regulares, Superiores, &

& Locales, reſpectu ſuorum Subditorum: eò quòd gaudeant, quaſi Epiſcopali Iuriſdictione in ſuos Subditos, ut communior docet Sententia, & patet ex dictis ſuprà, Diſſert. 3. quæſt. 2. prope finem.

QUÆSTIO SEXTA:
an extra mortis articulum poſſit Confeſſarius Complex abſolvere ſuum venereum Complicem ob inſtans Præceptum Annuæ Confeſſionis?

UT certa ſeparemus ab incertis, notandum eſt: quòd Præceptum Annuæ Confeſſionis, ab Eccleſia inſtitutum in Conſilio Lateranenſi ſub Innocencio III. quamvis ab antiquiſſima Eccleſiæ Conſuetudine, cui ab illis uſque ad hæc tempora omnes Romani Pontifices conſenſerunt, & quam verbis expreſſis approbat Conſilium Tridentinum Seſſ. 14. cap. 5. ſemper uſitatum fuerit, adimpleri Sacro tempore Quadrageſimali: tamen communior, & probabilior Sententia Theologorum docet: hoc Eccleſiaſticum Præceptum Annuæ Confeſſionis non obligare pro aliqua determinata parte Anni, ſed pro quocumque Anni tempore, dummodò adimpleatur intra Annum. Ita noſter Maſtrius tom. Theologiæ Moralis, diſp. 12. *de Præceptis Eccleſiæ*, quæſt. 2. art. 2. num. 40. Ratio: quia cap. *Omnis, de Pœnit. & Remiſſ.* expreſſè utique habetur, quòd Fideles intra Annum debeant confiteri; verùm non habetur, quòd hæc Annua Confeſſio fieri debeat tali, vel tali determinata Anni parte. En Decreti verba: *Omnis utriuſque ſexus Fidelis, poſtquàm ad annos diſcretionis pervenerit, ſemel ſaltem in anno confiteatur.*

Hæc refert prædicta Conſuetudo, valdè laudabilis, confitendi tempore Quadrageſimali: quippe introducta fuit, non pro adimplendo Præcepto Annuæ Confeſſionis, ſed pro adimplendo Præcepto Annuæ Communionis, quæ quidem fieri debet determinatè in Paſcha, ex ipſo cap. *Omnis de Pœnit.*

&

& *Remiſſ.* per hæc verba: *ſuſcipiens reverenter, ad minùs in Paſcha Euchariſtiæ Sacramentum.* Nec refert Sacrum Tridentinum Seſſ. 14. cap. 5. laudans prædictam Conſuetudinem confitendi tempore Quadrageſimali: quippe laudare, non eſt præcipere. Nec demùm refert, noſtrum Doctorem Subtilem Scotum in 4. diſt. 17. quæſt. unica, dixiſſe: *quoad quando, Eccleſia determinavit ſemel in anno, & illud ſemel videtur, ad minùs eſſe circa Paſcham.* Quippe Subtiliſſimus ubique Scotus, loquitur ibi, non ex vi Præcepti Annuæ Confeſſionis, ſed ex uſu communi Fidelium, qui cùm in Paſcha debeant, recipere Sacram Euchariſtiam, in Paſcha communiter adimplent Præceptum Annuæ Confeſſionis. Ideo ſubtiliter dixit: *videtur*, conſultò omittens, dicere: *debet.*

Item notandum eſt: quòd proadimplendendo Præcepto Annuæ Communionis, nomine *Paſchæ*, intelligitur totum illud tempus, quod efluit á Dominica Palmarum uſque ad Dominicam in Albis incluſivè, ut Navarrus in Manuali cap. 25. refert, fuiſſe declaratum ab Eugenio IV. teſte Maſtriò, ubi ſup. art. 3. num. 51. Imò poteſt differri adimpletio Præcepti Annuæ Communionis in plures aliquot dies, ultra prædictum Paſchæ tempus; de licentia tamen Parochi, & ex aliqua rationabili cauſa. Ita Maſtrius ibidem, cum communi. Ex hactenùs ergo ſtabilitis, certum debet eſſe in hac præſente quæſtione: quòd ſi Pœnitenti Complici in turpitudine, duntaxàt urgeat Præceptum Annuæ Confeſſionis, vel Communionis, abſque aliquo periculo infamiæ, vel ſcandali, ſequendo ex non adimpletione Præcepti pro illo tempore: tunc caſus, nequit Confeſſarius Complex excipere illam Confeſſionem: & ſi excipiat illam, & Abſolutionem impertiat, Abſolutio eſt nulla, & ipſe incurrit Excommunicationem Majorem, Sedi Sanctæ reſervatam.

Ratio: quia prædictus Pœnitens Complex, bene penſatis circunſtantiis, nullam habet urgentiam pro illo adimplendo Præcepto Annuæ Confeſſionis, vel Communionis: Tùm: quia nullum timetur periculum infamiæ, aut ſcandali, ex non adimpletione talis Præcepti. Tùm: quia Præceptum Annuæ Confeſſionis non obligat pro aliquo determinato Anni tempore, ſed

pro

pro quacumque Anni parte. Tùm: quia etiam adimpletio Præcepti Annuæ Communionis potest, de licentia Parochi differri ad aliam quamcumque diem post Pascham. Unde tota præsens quæstio stat in hoc: utrum, scilicet, quando Pœnitenti Complici ita instat Præceptum Annuæ Confessionis, vel Communionis Annuæ, ut absque periculo infamiæ, aut scandali, nequeat, neque illam omittere pro tunc, neque illam differre ad aliam diem: si tunc casus, possit Confessarius Complex, eò quòd nullus alius adsit Confessarius, excipere Confessionem talis sui Complicis in turpitudine? Respondet

Conclusio: dum extra articulum mortis instat Pœnitenti Complici in turpitudine Præceptum Annuæ Confessionis, & Communionis, cujus adimpletionem non potest differre ad aliam diem, absque periculo infamiæ, aut scandali, nulloque tunc in illo loco existente alio Confessario; potest Confessarius suus Complex, validè, & licitè excipere Confessionem illius: ita tamen, ut á peccato turpi, in quo fuerunt Complices, illum absolvat indirectè; & directè absolvat illum á reliquis aliis peccatis. Hanc defendo Conclusionem cum Authore Carmelita Discalceato Fr. Antonio á SSmo. Sacramento, in Additionibus ad tom. 7. Cursus Salmantini Moralis, cap. 6. punct. 4. § 2. num. 262. qui etiam pro hac opinione citat Doctorem Azedo in suo Opusculo Theologico quæst. 2. §. 4. num. 43. ac num. 75. necnon in suis Additionibus num. 56. Estque contra alterum Authorem Carmelitam ex Observantibus, Magistrum, & Doctorem Diaz in suo Confessario instructo, punct. 14. num. 109. cum sequentibus.

Probatur prima Conclusionis pars: ex communiori Theologorum Sententia, quam docet noster Mastrius tom. Theologiæ Moralis, disp. 21. quæst. 9. art. 3. num. 241. si Pœnitens aliquis habeat aliquod reservatum peccatum, pro cujus Absolutione non possit adire Superiorem, nec alium Confessarium, habentem authoritatem pro illo reservato absolvendo: & aliàs nequeat, absque periculo infamiæ, aut scandali, omittere adimpletionem Præcepti Annuæ Confessionis: tunc casus, potest Confessarius Inferior, illum absolvere indirectè ab illo reservato peccato, & directè á reliquis non reservatis peccatis:

ergo pariter in casu quæstionis. Tenet paritas: quippe, sicut ille Confessarius Inferior caret Iurisdictione ad absolvendum directè illud reservatum peccatum: ita ille Confessarius Complex caret Iurisdictione, ad absolvendum directè illud turpe peccatum, in quo fuit Complex; atqui, non obstante illa privatione, potest Confessarius Inferior, absolvere indirectè illud peccatum reservatum, & directè cætera non reservata peccata: casu, quo urgeat Præceptum Annuæ Confessionis, & non possit omitti, nec pateat aditus ad Superiorem, vel ad alium habentem authoritatem pro illo absolvendo reservato, quin sequatur infamia, aut scandalum: ergo.

Ego autem addo: hanc Conclusionis partem optimè deduci ex mente ipsius Beatissimi Benedicti in sua Constitutione Declarativa, incipiente: *Apostolici muneris partes.* Quod sic ostendo: SSmus. Benedictus benignissimè ita tuetur famam utriusque Complicis, scilicet, Pœnitentis, & Confessarij, ut pro articulo mortis Pœnitentis Complicis tribuat Confessario Complici Iurisdictionem, ad illum directè absolvendum ab illo turpi peccato Complicitatis, dùm ex vocatione alterius Sacerdotis, potest sequi infamia, aut scandalum contra Complicem Confessarium, vel contra Pœnitentem Complicem. Atqui in casu quæstionis, ex non adimpletione Præcepti Annuæ Confessionis, vel Communionis, sequitur Pœnitenti Complici infamia: ergo. Nec dicas cum Patre Magistro, ac Doctore Diaz: quòd illa authoritas, ad absolvendum Pœnitentem Complicem in illo articulo mortis, est duntaxàt concessa, ne pereat anima ipsius moribundi Complicis.

Nam contrà sic arguo: dùm adest duplex distinctum motivum in Concessione prædictæ Authoritatis, ad validè absolvendum, & hoc ex mente expressa Concedentis, non est restringenda illa Concessio ad unum duntaxàt motivum; atqui, dum Pontifex Maximus Benedictus tribuit Confessario Complici Iurisdictionem, ad absolvendum directè in articulo mortis suum Complicem, habet duplex motivum, nimirùm: ne anima talis moribundi Complicis pereat, & simul tueri famam utriusque Complicis, Confessarij scilicet, & Pœnitentis: ergo. En pro minori, Benedicti Maximi verba, ubi suprà, sub num. 4. *por-*

porrò si casus urgentis qualitas, & concurrentes circumstantiæ, quæ vitari non possint, ejusmodi fuerint, ut alius Sacerdos, ad audiendam constitutæ in dicto articulo personæ Confessionem, vocari, aut accedere, sine gravi aliqua exoritura Infamia, vel scandalo, nequeat, tunc, &c. Quid clarius? Huc ad rem: *verba clara non admittunt interpretationem, neque voluntas conjecturam*, Abbas Consl. 97. num 1. lib. 2. Tuschus litt. V. Concl. 108. Barbosa Axiom. 222. num. 32. Reiffenstuel in lib. 1. Decretal. tit. 2. *de Constitutionib.* §. 16. num. 384. & communis, ex leg. *Licèt Imperator*, ff. *de Legatis.* 1. *ex leg. Ille, aut illa*, ff. *de Legatis* 3. Et hoc quidem, non solùm de Legibus, quæ debent esse claræ, ac manifestæ, ex can. 2. dist. 4. sed etiam de Privilegiis, á quorum verbis claris non est recedendum, ex cap. *Ad audientiam, de Decimis*, & ex cap. *Porrò, de Privilegiis.*

Probatur secunda Conclusionis pars: illa sola peccata potest Confessarius, directè absolvere, circa quæ habet Iurisdictionem; atqui Confessarius Complex, extra mortis articulum sui turpis Complicis, non habet Iurisdictionem circa illud peccatum turpe, in quo fuerunt Complices, ut patet ex utriusque Benedictinæ Constitutionis Textu: ergo. Hic notandum: quòd secluſa urgente necessitate, qualis est prælens, de qua agit quæstio, non potest Confessarius Complex, extra mortis articulum, absolvere adhuc indirectè suum Complicem á peccato turpi Complicitatis, & directè ab aliis peccatis. Ratio, tùm: quia hæc est expressa mens SSmi. Benedicti in utraque sua Constitutione. Tùm: quia neque Confessarius Inferior, secluſa urgente necessitate, potest sic absolvere illum, qui habet aliquod reservatum peccatum, ut docet noster Mastrius, ubi suprà, n. 240.

ARGUMENTA SOLVUNTUR.

ARG. 1: in casu quæstionis potest Pœnitens Complex, ritè disponi ad Sacram Communionem Annuam, vel per Contritionem reverà talem, vel per Attritionem existimatè Contritionem; atqui, hac posita dispositione, jam nulla est necessitas, ob quam possit Confessarius Complex, absolvere suum Complicem, nec indirectè, á peccato turpi

Complicitatis: ergo. Concedo totum; ſed totum tranſeat. Nullatenùs eſt quæſtio, quando Penitens Complex poteſt aliter diſponi ad Sacram Annuam Communionem: tunc enim, ita deberet diſponi, & accedere ad Communionem. Quæſtio itaque eſt: quando nec poteſt differri Præceptum Annuæ Confeſſionis, vel Communionis, abſque infamia, nec adeſt in eodem loco alius Confeſſarius, nec aliter ad Communionem poteſt ritè diſponi Pœnitens Complex, niſi media Confeſſione Sacramentali, eò quòd neque cognoſcat in ſe veram Contritionem, neque exiſtimet, ſuam Attritionem eſſe Contritionem.

Arg. 2: ex Concluſione ſequitur periculum relabendi turpiter, cùm tàm Confeſſarius, quàm Pœnitens, ex occaſione loquendi de turpitudine, in qua fuerunt Complices, poſſint delectari, dehinc concupiſci, deinde provocari, tandem relabi: ergo. Nego antecedens: quandoquidem ſi hæc ſequantur, non erit ex Concluſione, ſed ex utriuſque vel malitia, vel fragilitate. Concluſio namque procedit ex neceſſaria ſuppoſitione, quòd nulli eorum ſequatur periculum relabendi. Si autem tale periculum probabiliter timeatur, vel ex parte Pœnitentis, vel ex parte Confeſſarij, vel ex parte utriuſque: tunc nullatenus poteſt Pœnitens Complex, adhuc in caſu quæſtionis, Confeſſionem dicere Confeſſario Complici ſuo: quippe Charitatis lege, vitam, honorem, & famam debet ponere pro bono ſpirituali, tam ſui, quàm Proximi.

Corollarium.

IN caſu quæſtionis Pœnitens Complex, cùm ſolùm indirectè fuerit abſolutus á peccato turpi Complicitatis, tenetur poſteà, prima habita occaſione accedere ad alium Confeſſarium, & illi confiteri tale turpe peccatum Complicitatis, ut maneat directè abſolutum. Patet á ſimili: quia cùm quis, gravi urgente neceſſitate, abſolvitur indirectè ab Inferiori Confeſſario á peccato reſervato: tenetur poſteà accedere, vel ad Superiorem, vel ad Confeſſarium, qui habeat Authoritatem pro reſervatis, ut abſolvatur directè ab illo reſervato peccato: ut cum communiori docet noſter Maſtrius tom. Theologiæ Moralis, diſp. 21. quæſt. 9. art. 3. á num. 241.

QUÆ-

QUÆSTIO SEPTIMA:
quid faciat Confessarius Complex, ne accedat ad illum suus turpis Complex, quando ipse sedet pro excipiendis Confessionibus?

SAnctissimus Pater noster Benedictus XIV. duo strictissimè prohibet Confessario Complici in sua utraque Constitutione Apostolica. Primum est: quòd non excipiat Confessionem sui in turpitudine Complicis. Secundum: quòd non absolvat illum. Utrumque intelligitur extra mortis articulum. At inter utrumque hæc invenitur differentia. Si enim solùm excipiat prædictam Confessionem, gravissimè peccat; verùm non incurrit Excommunicationem Majorem. Si autem, non solùm excipiat illam Confessionem, sed etiam audeat impertire Absolutionem: tunc graviùs peccat, Absolutio est nulla, & ipse incurrit Excommunicationem Majorem, reservatam Apostolicæ Sedi, ut dictum manet quæst. 4. hujus Dissertationis. Hinc præsens inquirit quæstio: dum Confessarius Complex sedet publicè pro excipiendis Confessionibus, quid debet facere, ut non accedat ad ipsum suus turpis Complex: & si fortè accedat, quid facere tenetur, ut surgat? Practicè respondeo, sic.

Primò. Si sedens Confessarius Complex in Confessionario, secernat inter Pœnitentes astantes, suum turpem Complicem, statim surgat, & recedat á Confessionario, aliquo sumpto prudente prætextu. Secundò: si fœmina Complex, quin priùs fuisset á Confessario cognita, accedit, & Confessionem incipit: statim, ac illam cognoscat Confessarius, silentium illi imponat, simulet Absolutionem propter astantes, & illam absque Absolutione dimittat. Tertiò: si instet ignoranter illa pro continuanda Confessione, dicat illi Confessarius: propter peccatum, in quo fuimus Complices, privatus sum ego á Summo Pontifice Iurisdictione, ad te absolvendam: vade ergo in pace, & ne ampliùs instes. Quartò: si illa accedit, animo duntaxàt petendi consilium circa peccatum turpe, in quo fuerunt Complices: nulatenus

tenus præſtet Conſilium Confeſſarius, & ad alium Confeſſarium mittat illam. Si autem quærat Conſilium circa aliam diſtinctam rem: tunc brevioribus verbis præſtet Conſilium Confeſſarius, & dimittat illam.

Quintò: ſi neque in acceſſu, neque in progreſſu Confeſſionis cognoſcat illam Confeſſarius, & præter peccatum turpe, in quo fuerunt Complices, apponat fœmina alia peccata, ſtantibus ipſa, & Confeſſario in bona fide: tunc Abſolutio eſt valida ita, ut peccatum turpe Complicitatis maneat indirectè abſolutum, & reliqua peccata ſint abſoluta directè. Ita uterque Carmelita, Fr. Antonius á SSmo. Sacramento in Additionibus ad tom. 7. Curſus Salmantini Moralis, cap. 6. punct. 4. §. 2. num. 296. & Pater Magiſter, & Doctor Diaz in ſuo Confeſſario inſtructo, punct. 22. num. 204. juncto Doctore Azedo in ſuo Opuſculo Theologico §. 10. reſol. 6. Unde peccatum turpe Complicitatis, cùm ſolùm indirectè fuerit abſolutum, debet iterum confiteri alteri Confeſſario, pro obtinenda Abſolutione directè.

Sexto: ſi illa fœmina Complex jam fuit ritè confeſſa peccatum illud turpe Complicitatis, ab illoquè ritè abſoluta ab alio Confeſſario, & accedat ad prædictum Confeſſarium Complicem, pro confitendis aliis diverſis peccatis: tunc Confeſſarius Complex poteſt, licitè, & validè excipere Confeſſionem, & Abſolutionem largiri. Sed Confeſſarius timeat periculum: ac proin non permittat, quòd illa loquatur de illo peccato Complicitatis: imò breviter finita Confeſſione, illi præcipiat ſtrictè, ne ampliùs accedat ad ipſum. Septimò: quoties fœmina Complex accedat cum illo peccato Complicitatis, nondùm ritè confeſſo, & abſoluto, nequit Confeſſarius Complex, excipere illius Confeſſionem: ita, ut ſi excipiat illam, & impertiat Abſolutionem, Abſolutio eſt nulla, & ipſe incurrit Excommunicationem Majorem, Sedi Apoſtolicæ reſervatam. Ultimò: quoties propter vitandam aſtantium notam, ſimulat Abſolutionem, fœminam moneat, quòd ipſe ſimulat Abſolutionem, ac ideo ſciat, illam non ire abſolutam.

QUÆ-

QUÆSTIO OCTAVA:

an qui ante Presbyteratum turpiter peccavit, possit jam Confessarius, excipere Confessionem sui Complicis in illo turpi peccato?

PRælentis quæstionis unicum fuisse Authorem Patrem Magistrum, & Doctorem, Fr. Iosephum Vincentium Diaz, ex Carmelitis Observantibus, statim quisque cognoscet, si legerit suum Confessarium instructum, punct. 8. Ibi enim verbis expressis refert, quemdam practicum Casum, de quo ipsum consuluit quidam Ecclesiasticus, qui peccaverat turpiter cum quadam fœmina, dùm esset constitutus in Minoribus Ordinibus: postea verò factus Presbyter, ac Confessarius, editaque hac Benedictina Constitutione, sedebat quadam die pro excipiendis Confessionibus, & ecce ad ipsum accedens fœmina illa Complex ejus in turpitudine, pro confessione facienda. Audivit ipse, sed non absolvit, dans tempus consultationi prædictæ. Magister autem, & Doctor Diaz, casum in quæstionem convertens, á num. 140. validè defendit: talem Confessarium non esse Complicem, comprehensum in hac Apostolica Constitutione: ac proin, posse validè absolvere prædictam Complicem fœminam. Enimverò, rem accurate considerans, prædictam suam resolutionem retractat á num. 152. tenens firmiter, ac docens contrariam Sententiam. Cum quo, in hac sua ultima resolutione, sit

Conclusio: Confessarius ille, qui ante Presbyteratum peccavit turpiter, ita est verè Complex, comprehensus in hac Apostolica Constitutione, ut nequeat excipere Confessionem sui Complicis in illa turpitudine: ac proin, si illam excipiat, & Absolutionem impertiat, Absolutio est nulla, & ipse incurrit Excommunicationem Majorem, reservatam Sedi Sanctæ. Probatur primò: hoc Apostolicum Decretum non respicit tempus, in quo fuit commissum peccatum turpe; sed tempus, in quo confiteri intenditur; atqui in casu quæstionis, dùm Pœnitens Complex intendit confiteri peccatum turpe Complicitatis, Confessarius est Complex suus: ergo.

Pro-

Probatur ſecundò: ubi eadem eſt ratio, eadem eſt Iuris diſpoſitio, apud Barboſa Axiom. 197. num. 3. apud Reiffenſtuel tom. 1. in lib. 1. Decretal. tit. 2. de Conſtitutionib. § 16. num. 410. & apud alios, ex leg. *Ideò*, ff. *de Legibus*, ex leg. *Non poſſunt*, ff. tit. eod. & ex cap. *Inter corporalia, de Traſlat. Epiſcop*; atqui ratio hujus Apoſtolicæ Conſtitutionis eadem eſt reſpectu Confeſſarij, peccantis turpiter in ſtatu Sacerdotali, & reſpectu Confeſſarij, qui peccavit ante Presbyteratum: ergo. Probatur minor: ratio hujus Apoſtolicæ Conſtitutionis reſpectu Confeſſarij, peccantis turpiter in Statu Sacerdotali, eſt: omnem turpitudinis occaſionem á Sacro Tribunali, contemptum Sacramentorum, & Eccleſiæ Injuriam longè ſummovere, tam exitioſa hujuſmodi mala prorſus eliminare, Animarumque periculis occurrere. Atqui hæc eadem omnia urgent reſpectu illius Confeſſarij, qui turpiter peccavit ante Presbyteratum: ergo. Minor liquet: quippe hic Confeſſarius non lapiduit poſt Sacerdotium, ſed eſt tam carneus, ut erat ante Sacerdotium: quocircà, accedente ad ipſum illa ſua Complice fœmina, confitenteque illud turpe peccatum Complicitatis, en occaſio turpitudinis, en occaſio contemnendi Sacramentum Pœnitentiæ: en occaſio injurandi Eccleſiam, en tam exitioſa mala iterum probabiliter radicanda, en manifeſtum harum Animarum periculum.

Probatur tertiò á paritate: quia, ut docet noſter Felix Poteſtas in ſuo Examine Eccleſiaſtico, tom. 1. part. 4. cap. 5. 3308. ſi peccatum commiſſum heri, quando non erat reſervatum, confiteatur hodie, quando factum eſt reſervatum, non poteſt ab eo abſolvi á Confeſſario communi: ergo pariter, etiamſi peccatum illud turpe fuerit Commiſſum á prædicto Confeſſario ante Presbyteratum, dùm hodie, quando jam eſt Sacerdos, & Confeſſarius, vult illud confiteri Pœnitens Complex, nequit hic Confeſſarius excipere talem Confeſſionem, & Abſolutionem impertire: quippe hodiè, vi hujus Apoſtolici Decreti, omnis Confeſſarius Complex caret Iuriſdictione, ad validè abſolvendum ſuum turpem Complicem. Probatur quartò: æquiparatorum eadem eſt diſpoſitio, adhuc in pœnalibus exorbitantibus, & correctoriis, ut docet Abbas lib. 1. Conſ. 75. num. 6. Cardinalis Tuſchus litt. E. concluſ. 308. num. 5. Barboſa

Axiom.

Axiom. 14. noſter Reiffenſtuel, ubi ſuprà, §. 17. num. 422. ex leg. *Qui filiabus*, ff. *de Legatis* 1. & ex cap. *Quamvis*, *de Elect.* in 6. Atqui, reſpectu hujus Apoſtolici Decreti, ſunt æquiparati Confeſſarius, qui turpiter peccavit poſt Sacerdotium; & Confeſſarius, qui peccavit turpiter ante Sacerdotium: ergo. Minor conſtat: quia tam Complex in turpitudine dicitur, & eſt primus, quàm ſecundus.

QUÆSTIO NONA:

an ceſſante periculo turpitudinis, poſſit Confeſſarius Complex, abſolvere ſuum turpem Complicem, extra mortis articulum.

CAUSA, ſeu Finis Legis dupliciter poteſt ceſſare, nimirum, vel contrariè, vel negativè, ut cum communi docet noſter Maſtrius, tom. Theologiæ Moralis, diſp. 2. *de Legibus*, quæſt. 6. art. 5. num. 209. Tunc ceſſat negativè, quando deſinit eſſe, ſeu jam non exiſtit. Tunc ceſſat contrariè, quando ita mutatur in contrarium extremum, ut jam Lex potiùs diceretur injuſta, quàm juſta. Ex his certum eſt apud omnes: quòd ceſſante negativè Fine adæquato Legis reſpectu totiùs Communitatis, ceſſat ſtatim ipſa Lex, etiamſi nullum adſit Decretum Principis revocatorium. Ita noſter Reiffenſtuel tom. Theologiæ Moralis, tract. 2. *de Legibus*, diſt. 4. quæſt. 3. num. 33. Ratio, tùm: quia ita expreſſè habetur cap. *Cùm ceſſante*, *de Appellat.* ibi: *ceſſante cauſa, ceſſat effectus.* Tùm: quia ſicut Lex ab initio non ſubſiſteret, ſi abſque cauſa eſſet lata; ita ſubſiſtere nequit, jam cauſa non exiſtente reſpectu totius Communitatis.

Certum item eſt apud omnes: quòd ceſſante contrariè Fine Legis, ceſſat etiam ipſa Lex. Ratio: quia inter alias conditiones requiritur, quòd Lex ſit honeſta, juſta, & poſſibilis, ut habetur can. *Erit autem Lex*, diſt. 4. & Reg. 6. *de Regulis Iuris*, in 6. & leg. *Impoſſibilium*, ff. *de Regulis Iuris.* Cùm ergo, mutato contrariè Fine Legis, tranſeat Lex, vel ad eſſe inhoneſtam, vel ad eſſe injuſtam, vel ad eſſe impoſſibilem: hinc ceſſante contrariè Fine Legis, neceſſariò debet ceſſare

ipſa Lex. His, ut certis, ſuppoſitis, præſens inquirit quæſtio, non de ceſſatione Finis hujus Apoſtolicæ Conſtitutionis adæquati, & reſpectu totius Communitatis Fidelium; ſed de ceſſatione Finis inadæquati, nempe, reſpectu contempti Sacramenti Pœnitentiæ, ſumpta ab ejus Adminiſtratione occaſione luxuriandi: & hoc reſpectu duorum duntaxat, videlicet, reſpectu Confeſſarij, & Pœnitentis, Complicium in peccato turpi. Unde quæſtio clariùs formatur ſic: ita Confeſſarium, & Pœnitentem Complices pœnitet peccaviſſe, ut ſeriò voverint Deo, mori priùs, quàm iterum peccare: poterit tunc Confeſſarius extra mortis articulum, abſolvere valdè ſuum turpem Complicem? Reſpondet

Conclusio: adhuc ceſſante periculo iterum turpiter peccandi, tam ex parte Confeſſarij, quàm ex parte Pœnitentis, qui fuerunt in turpitudine Complices, nequit Confeſſarius excipere Confeſſionem illius: ſi autem illam excipiat, & abſolvat, Abſolutio eſt nulla, & ipſe incurrit Excommunicationem Majorem, Sedi Apoſtolicæ reſervatam. Ita Author Carmelita ex Diſcalceatis, Fr. Antonius á SSmo. Sacramento, in Additionibus ad tom. 7. Curſus Salmantini Moralis, cap. 6. punct. 4. §. 2. num. 275. & Doctor Azedo in Additionibus ad ſuum Opuſculum Theologicum, num. 128. Probatur: dùm Finis Legis perſeverat reſpectu totius Communitatis, adhuc ceſſante ipſo Fine negativè, & in caſu particulari, tenetur talis particularis perſona ad obſervantiam illius Legis; atqui, etiamſi reſpectu hujus Confeſſarij Complicis, & reſpectu hujus Complicis Pœnitentis, ceſſet negativè in hoc particulari caſu Finis hujus Apoſtolicæ Conſtitutionis, perſeverat tamen reſpectu cæterorum Confeſſariorum, & Penitentium Complicium in turpitudine: ergo. Major liquet, tùm: quia Lex non reſpicit particulares perſonas, ſed totam Communitatem: ac proin, quin Finis Legis negativè ceſſet reſpectu totius Communitatis, quilibet ſingularis tenetur ad ejus obſervantiam, etiamſi reſpectu illius in particulari caſu ceſſet negativè Finis Legis. Tùm: quia, cùm Lex reſpiciat bonum Commune, quilibet ſingularis tenetur, hoc bonum Commune præferre bono ſuo particulari: ac proin, adhuc ceſſante negativè Fine Legis reſpectu illius, tenetur obedire Legi.

AR-

ARGUMENTA SOLVUNTUR.

ARG. 1: ita se habet hæc Lex Apostolica in casu quæstionis, ac si non haberet causam; atqui, si causam non haberet, non obligaret: ergo. Nego majoris suppositum, nempe, Legem respicere causam particularem. In casu namque quæstionis cessat negativè Finis hujus Pontificiæ Legis in particulari: quæ particularis cessatio nil refert, ut ipsa Lex non subsistat respectu totius Communitatis Ecclesiæ, & per consequens, adhuc respectu talium particularium, nempe, Confessarij, & Pœnitentis Complicium: qui quidem, posthabito suo bono particulari, debent anteponere illud Ecclesiæ commune bonum, propter quod fuit lata hæc Pontificia Lex.

Arg. 2: ita se habet Lex in particulari respectu alicujus particularis personæ, sicut se habet in communi respectu totius Communitatis; atqui Lex cessat respectu totius Communitatis, quando in communi cessat Finis illius: ergo. Nego paritatem: quia quando in communi cessat Finis Legis, cùm jam ampliùs non sit utilis, nec respectu Communitatis, nec respectu alicujus particularis: hinc cessare debet Lex. At cessante Fine ipsius Legis in particulari, & respectu particularis personæ, cùm adhuc existat Finis in communi, eò quòd adhuc sit utilis Lex toti Communitati: hinc adhuc subsistit Lex, tam respectu Communitatis, quàm respectu talis particularis, qui propter bonum commune debet obedire Legi, & postponere suum bonum particulare.

DISSERTATIO QUINTA: de Confessario Complice erga suum in turpitudine Complicem, absolvendum in articulo mortis.

PRæsens, & ultima Dissertatio, quinque exposcit quæstiones. Prima est: quando Confessarius Complex possit, absolvere validè suum turpem Complicem in articulo mortis? Secunda: an Confessarius Complex possit, ab-

ſolvere validè ſuum inhoneſtum Complicem in articulo mortis, quando abſque infamia nequi vocari alius Sacerdos? Tertia: an renuente accedere alio Sacerdote, poſſit Confeſſarius Complex, validè abſolvere ſuum venereum Complicem in articulo mortis? Quarta: an validè Confeſſarius Complex abſolvat ſuum turpem Complicem in articulo mortis quando ipſe ſe intromittit abſque neceſſitate, ad abſolvendum: vel quandò de induſtria non adhibet opportuna media, ut abſque infamia accedat alius Sacerdos? Quinta: quæ ſint opportuna media, quæ Complex Confeſſarius tenetur adhibere, ut abſque infamia accedat alius Sacerdos, ad abſolvendum ſuum venereum Complicem, in articulo mortis conſtitutum? Sit igitur

QUÆSTIO PRIMA:
quando Confeſſarius Complex poſſit, abſolvere validè ſuum turpem Complicem in articulo mortis?

UT clariorem Concluſioni paremus aditum, prænotandæ ſunt duæ opiniones circa præſentem quæſtionem. Prima docet: quòd dum Beatiſſimus Benedictus in ſuo Brevi Declarativo, incipiente: *Apoſtolici muneris partes*, prohibet, ne Confeſſarius Complex abſolvat ſuum inhoneſtum Complicem, adhuc in articulo mortis, quando adeſt alius Sacerdos, etiam Simplex, *qui Confeſſarij munus obire poſſit*, ſub prædictis verbis non debet intelligi quicumque Simplex Sacerdos; ſed ille duntaxat Sacerdos Simplex, qui ſcientiam, prudentiam, & alia requiſita neceſſaria habeat. Ita Doctor Azedo in ſuo Opuſculo Theologico, quæſt. 2. §. 3. num. 42. & in ſuis Additionibus, art. 3. §. 1. num. 154. juncto Patre Magiſtro, & Doctore Diaz in ſuo Confeſſario inſtructo, punct. 7. num. 58.

Secunda docet ſic: *quòd autem, ſi adſit Sacerdos, qui Confeſſarij munus poſſit exercere, invalidè, & illicitè excipiat Confeſſarius Complex Confeſſionem Complicis, etiam in*

ipſo

ipso mortis articulo, constat, &c. Hæc verba, hæcque opinio Patris Fr. Antonij á SSmo. Sacramento in Additionibus ad tom. 7. Cursus Salmantini Moralis, cap. 6. punct. 4. §. 2. num. 246. & 247. Nec me latet, hunc Doctissimum Carmelitam hanc defendere opinionem, omninò sistens, ac insistens primæ Benedictinæ Constitutivæ Constitutioni, incipienti: *Sacramentum Pœnitentiæ*. Ad illud debet esse certissimum quòd in agendis quæstionibus, præcipuè respicientibus articulum mortis Complicis, insistere tenemur ferè indivisibiliter, tam prædictæ Constitutioni Constitutivæ, quàm Constitutioni Declarativæ, quæ incipit: *Apostolici muneris partes*. His sic stantibus, sit

Conclusio: Complicem turpem, constitutum in articulo mortis, potest Confessarius Complex validè, & licitè, absolvere, dummodò inveniri nequeat alius Sacerdos, quamvis tantummodò Simplex Sacerdos sit, qui Confessarij munus obire possit: si autem inveniri possit alius Sacerdos, etiam Simplex quamvis non sit ornatus qualitatibus scientiæ, & prudentiæ, dum tamen sciat ea, quæ sunt necessaria ad valorem Sacramenti: tunc casus, non potest Confessarius Complex, absolvere moribundum suum Complicem: verùm si ausu temerario absolvat, Absolutio est valida; sed ita illicita, ut ipse ipso facto incurrat Excommunicationem Majorem, Apostolicæ Sedi reservatam. Prima Conclusionis pars expressè constat ex Constitutione, incipiente: *Sacramentum Pœnitentiæ*, & ex ejus Declarativa, quæ incipit: *Apostolici muneris partes*. Legenda Bulla sub num. 7. Legendum Breve sub num. 3.

Reliquas verò Conclusionis partes propugno contra respectivos, suprà laudatos, Recentiores Authores. Procedamus divisim: & quidem primò contra Doctores Azedo, & Diaz. Ille Sacerdos Simplex debet intelligi sub illis SSmi. Benedicti verbis: *qui Confessarij munus obire possit*, quem in casu quæstionis declarat sufficientem ipse Beatissimus Pater, in sua Declarativa Constitutione, per illa verba: *etiamsi fortè iste alius, Simplex tantummodò Sacerdos fuerit*; atqui Beatissimus Pater, per hæc sua Declarativa verba, intelligit, ac declarat pro casu quæstionis sufficientem Sacerdotem Simplicem, etiamsi non sit ornatus qualitatibus scientiæ, & prudentiæ, dum tamen

sciat

ſciat ea, quæ ſunt neceſſaria ad valorem Sacramenti: ergo. Probo minorem: pro caſu quæſtionis declarat Beatiſſimus Pater, per illa ſua Declarativa verba, illum Sacerdotem eſſe ſufficientem, qui fuerit *Simplex*, & ſimul fuerit *Tantummodò*; atqui Sacerdos, qui eſt *Simplex*, & ſimul eſt *Tantummodò*, eſt Simplex Sacerdos ſine qualitatibus ſcientiæ, & prudentiæ: ergo. Hæc minor liquet: quia per ly *Simplex*, eſt Sacerdos abſque Iuriſdictione ad abſolvendum: ergo per ly *Tantummodò*, eſt Sacerdos abſque qualitatibus ſcientiæ, & prudentiæ.

Fortè dices contra me pro Doctoribus Azedo, & Diaz: quòd per illam excluſivam *Tantummodò*, excluditur ab illo Sacerdote Simplici *Poteſtas Iuriſdictionis*; non verò excluditur qualitas ſcientiæ, & prudentiæ. Contrà ſic arguo: per illam excluſivam *Tantummodò* nequit excludi, quod jam ſupponitur excluſum per hoc verbum *Simplex*; atqui *Poteſtas Iuriſdictionis* jam ſupponitur exclula ab illo Sacerdote per hoc verbum *Simplex*: ergo. Minor eſt certa: alioquin eſſet Sacerdos *Simplex*, & ſimul haberet Poteſtatem Iuriſdictionis, quod implicat in adjecto. Unde cùm illa excluſiva *Tantummodò* non excludat ab illo Sacerdote *Poteſtatem Iuriſdictionis*, debet excludere qualitates ſcientiæ, & prudentiæ, ut aliquid operetur: alioquin eſſet ſuperflua. Quod quidem minimè concedendum eſt: quippe Regula ſolemnis eſt inter Canoniſtas, quòd in omni Decreto, Conſtitutione, & Sanctione, ſemper debet vitari ſuperfluitas verborum.

Ita habetur, tùm cap. *Si Papa*, 10. *de Privileg.* in 6. ibi: *cùm verba aliquid operari debeant*. Tùm cap. *Solitæ*, *de Majorit. & Obedient.* ubi Gloſſa, *v. Tamquàm*, ex Textu illius Decretalis infert ſic: *nulla dictio debet vacare in Reſcripto, alioquin fruſtrà membranas occuparet*. Tùm can. *Si Romanorum*, diſt. 19. ibi: *ut quid vel membranas occupat?* Ubi Gloſſa, *v. Membranas*, ait: *nullum verbum poſitum in aliqua ſcriptura debet vacare, vel ſuperflue poni*. Imò addunt Cardinalis Tuſchus, Sanchez, Fagnanus, Barbola, & alij, apud noſtrum Reiffenſtuel, tom. 1. in Proœm. §. 7. num. 114. quòd nec ſyllaba debet eſſe ſuperflua in Lege.

Probo nunc illam Concluſionis partem, quæ eſt contra

Rmum.

Rmûm. á SSmo. Sacramento. Ideo, per hunc Authorem, Absolutio collata Complici, conſtituto in articulo mortis, á Confeſſario Complice, præſente alio Sacerdote, eſt invalida, quia ita decernitur in Conſtitutione: *Sacramentum Pœnitentiæ*, ſub num. 7. per illa verba: *interdicimus, & prohibemus, ne aliquis eorum extra caſum extremæ neceſſitatis, nimirum in ipſius mortis articulo, & deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confeſſarij munus obire poſſit, Confeſſionem Sacramentalem perſonæ Complicis in peccato turpi, atque inhoneſto, contra Sextum Decalogi Præceptum commiſſo, excipere audeat*, &c. atqui, ex prædictis verbis colligi nequit, quòd conſtituto Complice in articulo mortis, & ibi præſente alio Sacerdote ſi adhuc Confeſſarius Complex abſolvat, Abſolutio ſit nulla: ergo eſt valida.

Probo minorem: prædicta verba Conſtitutionis laudatæ, & incipientis. *Sacramentum Pœnitentiæ*, omninò debent intelligi, ſicut illa declarat altera Conſtitutio Declarativa, incipiens: *Apoſtolici muneris partes*; atqui hæc Declarativa Conſtitutio expreſſè declarat, quòd quoties ſe intromittat, abſque ulla neceſſitate, Confeſſarius Complex, ad abſolvendum ſuum Complicem, conſtitutum in articulo mortis, Abſolutio eſt valida, ut non pereat Anima moribundi Complicis: ergo. Ecce pro minori verba hujus Declarativæ Conſtitutionis, ſub num. 6. *quòd ſi idem Sacerdos, aut quovis modo, ſeſe nulla gravi neceſſitate compulſus ingeſſerit = = atque ita perſonæ in dicto crimine Complicis, eoque in articulo, ut præfertur, conſtitutæ, Sacramentalem Confeſſionem excipere, ab eoque crimine Abſolutionem largiri, nulla, ſicut præmittitur, neceſſaria cauſa cogente, præſumpſerit, quamvis hujuſmodi Abſolutio VALIDA futura ſit, dummodò ex parte pœnitentis diſpoſitiones, â Chriſto Domino ad Sacramenti Pœnitentiæ valorem requiſitæ, non defuerint: non intendimus autem pro formidando mortis articulo, eidem Sacerdoti, quantumvis indigno, neceſſariam IURISDICTIONEM auferre, ne hac ipſa occaſione aliquis pereat.* Quid clarius?

Nec dicere licet: aliud eſſe, ſtando in prima Conſtitutione; aliudque eſſe, ſtando in ſecunda Conſtitutione. Nam hæc

ſe-

ſecunda Conſtitutio, utpotè Declarativa primæ, non diſtinguitur ab illa quoad Subſtantiam; ſed tantùm quoad Modum, nempè, penes majorem verborum claritatem, ex cap. *Exiit, §: Itaque, de Verbor. Signif.* in 6. Sic etiam docent noſter Reiffenſtuel, tom. 1. in lib. 1. Decretal. tit. 2. *de Conſtitutionib.* §. 15. num. 352. & apud ipſum Bartholus, Iaſon, Fagnanus, & alij. Cæterùm, quòd prædicta Abſolutio, quamvis ſit valida, ſit tamen ita illicita, ut Confeſſarius Complex, in caſu quæſtionis, incurrat Excommunicationem Majorem, reſervatam Apoſtolicæ Sedi, expreſſè habetur ex ipſa Declarativa Conſtitutione, ſub num. citato, ibi: *nihilominus Sacerdos ipſe violatæ auſu ejuſmodi temerario legis pœnas nequaquàm effugiet: ac propterea latam in dicta Conſtitutione Majorem Excommunicationem, eodemque planè modo, quo ibidem decernitur, Nobis, & huic Sanctæ Sedi reſervatam, incurrat.* Nec diſtat á me (quamvis ego diſtem ab illo, quantùm tenebræ diſtant á luce) Pater, & Doctor Ioannes Antonius de Oviedo in ſuo Succo Morali, diſp. 2. ſect. 9. num. 11.

Corollarium.

ARticulus, & Periculum mortis in rigore diſtinguuntur: quippe Articulus mortis dicitur, quando proximè certò moraliter inſtat mors. Periculum verò mortis dicitur, quando expectatur mors ſub dubio, ac probabili timore. Tamen in ordine ad adminiſtrandum Sacramentum Pœnitentiæ, pro eodem uſurpantur, ut communior docet Theologorum Sententia, & illam noviſſimè docuerunt duo ex America noſtra famoſi Theologi, & Doctores, ambo ex Societate Ieſu, nimirum, Pater Ioannes Antonius de Oviedo, ubi ſuprà, diſp. 4. ſect. 3. num. 4. & Pater Franciſcus Xaverius Lazcano in ſuo Indice Practico Morali, cap. 1. Et habetur can. *Si quis*, cauſ. 17. quæſt. 4. cap. *Non dubium, de Sentent. Excomm.* & cap. *Eos*, tit. eod. in 6.

Unde conſtituto Complice in probabili periculo mortis, ſi tunc non adſit, nec poſſit inveniri alius Sacerdos, quamvis Simplex, qui illum abſolvat: tunc caſus, poteſt ipſe Confeſſarius Com-

Complex, licitè, ac validè illum absolvere. Ratio: quia quotiescumque Summi Pontifices limitant Iurisdictionem, in ordine ad absolvendum ab aliquo peccato, & solùm excipiunt articulum mortis, Theologi communiter etiam exceptum intelligunt periculum mortis: ergo pariter, dùm Beatissimus Benedictus limitat, ac aufert Iurisdictionem Confessarij Complicis, ad absolvendum suum turpem Complicem, excipiens mortis articulum, & deficiente tunc alio quocumque Sacerdote: etiam debet intelligi exceptum, & cum eisdem circumstantiis, probabile mortis periculum.

Quapropter, deficiente alio quocumque Sacerdote, etiam Simplice, potest Confessarius Complex, validè, & licitè absolvere suum turpem Complicem, constitutum in sequentibus mortis periculis. Primò: si laboret tali infirmitate, vi cujus plures alij infirmi decesserunt è vita. Secundò: si se commitat navigationi periculosæ, & frequenter obnoxiæ naufragiis. Tertiò: si agat iter, Latronibus infestum, in quo plurimi fuerunt ab illis occisi. Quartò: si, cùm sit vir, & miles, iter agat ad bellum. Quintò: si, cùm sit fœmina, & parturiens, difficilem timet partum, vel quia nullum adhuc experta est, vel quia partus periculosos didicit propria experientia. Sextò: si laborat periculo amentiæ perpetuæ, quod non immeritò pro periculo mortis communiter habetur. Septimò, si fuerit ex Banniris, qui ubicumque impunè possunt ab aliis occidi. Octavò: si serviat infestis Peste.

QUÆSTIO SECUNDA:
an Confessarius Complex possit, absolvere validè suum inhonestum Complicem in articulo mortis, quando absque infamia nequit vocari alius Sacerdos?

SIcut bona Fama est quædam multorum bona existimatio de moribus, & vita alterius: ita á contrario sensu, mala Fama, seu Infamia, est quædam multorum mala existimatio de moribus, & vita alterius. Quàm autem bonum sit

homini bona Fama, quàmque illi malum ſit Infamia, ex ipſis Sacris Litteris patet, tùm Prov. 22. ibi: *melius eſt nomen bonum, quàm divitiæ multæ.* Tùm Eccli. 41. ibi: *curam habe de bono nomine.* Ubi illud imperativum *habe*, vim videtur habere Præcepti. Hinc Gloſſa, ex can. *Si Sacerdos*, cauſ. 13. quæſt. 6. condemnat peccati mortalis illos, qui ſe ipſos infamant. Hinc Divus Auguſtinus, relatus can. *Si non licet*, cauſ. 23. quæſt. 5. apertè docet, quòd homo ſe ipſum infamando, eodem modo peccat, quo peccaret, infamando Proximum. Hinc iterum ipſe Eccleſiæ Doctor, relatus can. *Non ſunt audiendi*, cauſ. 11. quæſt. 3. aſſerit, negligere propriam Famam, eſſe actum crudelem.

Hinc aliqui Theologi, inter quos noſter Faber, *de Reſtitut.* diſp. 53. cap. 3. docuerunt: graviter peccare, tàm contra Charitatem, quàm contra Iuſtitiam, illos, qui ſe ipſos infamant, adhuc metu mortis, eò quòd non ſint Domini ſuæ Famæ. Imò Sententia contraria, quæ utique eſt communior, & probabilior, dum defendit: hominem eſſe Dominum ſuæ Famæ; ſtatim addit: non poſſe hominem, ſine juſta cauſa, tantum bonum licitè prodigere, & negligere. Ita noſter Maſtrius, tom. Theologiæ Moralis, diſp. 3. *de Iuſtit. & Iure*, quæſt. 2 art. 1. num. 34. Quid autem, ſi dum aliquis ſe ipſum vellet infamare, ex ejus infamatione ſequeretur Proximo aliquod grave nocumentum? Peccaret quidem mortaliter contra Charitatem, & Iuſtitiam, ac teneretur ad Reſtitutionem,

Unde in caſu præſentis quæſtionis, illud debet eſſe certum: quòd Confeſſarius Complex tenetur, curare de bono ſuo nomine, ſeu de Fama propria. Tùm: quia hæc Pontificia Conſtitutio non obligat cum detrimento Famæ. Tùm: quia etiamſi, juxta communiorem Sententiam, ſit Dominus ſuæ Famæ, non poteſt, abſque juſta cauſa, ſe ipſum infamare, ut monent citati Textus Sacri, citatique Canones: Tùm: quia ex ejus infamatione ſequeretur gravis Infamia ſuo turpi Complici, in cujus Complicitatis cognitionem ſtatim quiſque veniret, attentis caſus circumſtantiis. Curet igitur Confeſſarius Complex de Fama propria, & de Fama Complicis ſui moribundi. Idcircò ſit

Conclusio: validè, & licitè poteſt Confeſſarius Complex

plex venereus, absolvere suum Complicem, constitutum in articulo mortis, quoties absque Infamia, vel Scandalo, nequit vocari alius Sacerdos, qui absolvat. Est mens expressa SSmi. Patris nostri Benedicti in sua Constitutione Declarativa: *Apostolici muneris partes*, sub num. 4. per hæc verba: *porro si casus urgentis qualitas, & concurrentes circumstantiæ, quæ vitari non possint, ejusmodi fuerint, ut alius Sacerdos, ad audiendam constitutæ in dicto articulo personæ confessionem, vocari, aut accedere, sine gravi aliqua exoritura Infamia, vel Scandalo, nequeat: tunc alium Sacerdotem perinde haberi, censerique posse, ac si revera abesset, atque deficeret, ac proinde in eo rerum statu non prohiberi Socio criminis Sacerdoti, absolutionem pœnitenti ab eo quoque crimine impertiri.* Hæc Pontifex Summus Benedictus: cujus tam claris tantibus verbis, nulla Conclusio indiget probatione.

QUÆSTIO TERTIA:
an renuente accedere alio Sacerdote, possit Confessarius Complex, validè absolvere suum turpem Complicem in articulo mortis?

RAtio dubitandi impræsentiarum est: quòd inter nolle alium Sacerdotem accedere, ad absolvendum, & absolvere Complicem Sacerdotem, datur duplex medium, quo moribundus Complex possit justificari, quin sit necessaria absolutio prædicta, collata á Complice Confessario, privato luriſdictione. Primum est: elicere actum Contritionis Perfectæ. Secundum: elicere Attritionem Supernaturalem, existimatè Contritionem, & recipere per modum Viatici Sacram Eucharistiam: quandoquidem, Attritio Supernaturalis, existimatè Contritio, simul cum Sacra Eucharistia, est optimum deletivum per accidens peccati mortalis, ut cum communiori docet noster Mastrius, tom. 4. in lib. 4. Sentent. disp. 1. quæst. 10. á num. 351. dummodò non adsit Copia Confessoris. His tamen non obstantibus, sit

Conclusio: ſi alius Sacerdos, vocatus ad abſolvendum, renuat accedere: tunc validè, & licitè poteſt Confeſſarius Complex, abſolvere ſuum turpem Complicem, conſtitutum in articulo mortis. Ita uterque Author Carmelita, breviſſimis quamvis verbis, Pater Magiſter, ac Doctor Diaz in ſuo Confeſſario inſtructo, punct. 8. num. 63. & Pater Fr. Antonius á SSmo. Sacramento, ubi ſæpè, num. 253. Probatur primò: ex mente ipſius SSmi. Patris noſtri Benedicti, quoties conſtituto Complice in articulo mortis, nequit inveniri alius Sacerdos: poteſt tunc, validè, & licitè Confeſſarius Complex, impertire Abſolutionem, ut patet ex dictis quæſt. 1. hujus Diſſertat; atqui Sacerdotem alium vocatum nolle accedere, eſt idem, ac deficere, & non poſſe inveniri: ergo.

Probatur ſecundò: quoties in articulo mortis Complicis non adeſt Copia Confeſſoris, decernit Beatiſſimus Benedictus, quòd ipſe Confeſſarius Complex validè, ac licitè abſolvat; atqui in caſu quæſtionis, & articuli mortis Complicis, non adeſt Copia Confeſſoris: ergo. Probatur minor: tunc apud Theologos non adeſt Copia Confeſſoris, quando, vel abſolutè deeſt, vel accedere renuit, ut docet noſter Reiffenſtuel tom. Theologiæ Moralis, tract. 14. diſt. 2. quæſt. 3. num. 40: atqui in caſu quæſtionis, & articuli mortis Complicis, quamvis adſit ille alius Sacerdos, tamen accedere renuit: ergo. Probatur tertiò: expreſſa mens SSmi. Benedicti eſt: quòd Anima moribundi Complicis non pereat, defectu Abſolutionis; atqui in caſu quæſtionis, ac renuente accedere illo alio Sacerdote poteſt perire defectu Abſolutionis Anima moribundi Complicis, ſi non abſolvat ipſe Confeſſarius Complex: ergo. Liquet major ex Conſtitutione: *Apoſtolici muneris partes*, ibi: *ne hac ipſa occaſione aliquis pereat.*

Nec referunt rationes contrariæ, ſuprà adductæ. Non prima pro Contritione Perfecta: quippe Contritio, quamvis de facto ſit optima diſpoſitio ad Iuſtificationem; eſt tamen valdè difficile medium. Cùm ergo, pro formidando mortis articulo, non debeamus ſolùm, & præciſè occurrere medio tam difficili, debemus ocurrere medio faciliori, nempe, quòd abſolvat ipſe Confeſſarius Complex, eò quòd non adſit Copia Con-

Confeſſoris. Alioquin ſuperfluè Sacrum Tridentinum Concilium tam amplam facultatem tribueret omnibus Sacerdotibus, ad abſolvendum á quibuſcumque peccatis, pro articulo mortis, ut tribuit de facto Seſſ. 14. cap. 7. cùm potiùs poſſet, monere moribundos, ut pro Iuſtificatione obtinenda, elicerent actum Contritionis Perfectæ. Non ſecunda pro Attritione, exiſtimatè Contritione, ſimul cum Sacra Euchariſtia per modum Viatici: quandoquidem, non omnes moribundi Complices poterunt, in illo articulo refici Sacro Viatico, ut docet experientia in aliis moribundis, qui, vel obſtante nauſea, vel obſtante urgentia mortis, decedunt abſque Viatico.

Ad hæc autem, & ſimilia, principalior eſt reſponſio: quòd Beatiſſimus Pater Benedictus nullatenus vult, moribundum Complicem decedere, abſque auxilio Sacramentalis Abſolutionis. Ideo præcipit, quòd diligenter quæratur alius Sacerdos, etiam Simplex, qui abſolvat. Ideo decernit, quòd ſi nullus alius Sacerdos inveniatur, abſolvat ipſe Confeſſarius Complex. Ideo concedit, quòd ſi alius Sacerdos non poſſit accedere, abſque Infamia, aut Scandalo, abſolvat ipſe Confeſſarius Complex. Unde impræſentiarum deduci debet, ex mente Sanctitatis ſuæ, quòd renuente alio Sacerdote accedere, poteſt ipſe Complex Confeſſarius, validè, & licitè abſolvere: alioquin, contra intentionem ſuæ Sanctitatis, decederet è vita moribundus Complex, abſque auxilio Abſolutionis Sacramentalis.

QUÆSTIO QUARTA:
an validè absolvat Confessarius Complex suum venereum Complicem in articulo mortis, quando ipse se intromittit absque necessitate ad absolvendum: vel quando de industria non adhibet opportuna media, ut absque Infamia accedat alius Sacerdos?

NE frustrà fiant per plura, quæ fieri possunt per pauciora: sub præscripto Titulo duplicem comprehendo difficultatem. Prima est: an validè, & licitè absolvat Confessarius Complex suum in turpitudine moribundum Complicem, quando ipse Complex Confessarius, absque gravi necessitate, se introducit ad absolvendum? Secunda est: an quando Confessarius Complex de industria negligit, adhibere opportuna media, quibus amoto periculo Infamiæ, & Scandali, accedat alius Sacerdos; si ipse tunc absolvat, sit valida, & licita Absolutio, pro illo articulo mortis sui Complicis moribundi? Utrique difficultati satisfacit

CONCLUSIO: sive Confessarius Complex absque necessitate se intromittat, ad absolvendum suum moribundum Complicem; sive de industria non adhibeat opportuna media, ut absque infamia, & Scandalo accedat alius Sacerdos: in utroque casu, si ipse Complex Confessarius absolvat, Absolutio est valida; verùm ita est illicita, ut ipse ipso facto incurrat Excommunicationem Majorem, Sedi Sanctæ reservatam. Utraque Conclusionis pars est expressa mens SSmi. Patris nostri Benedicti, in sua Declarativa Constitutione, incipiente: *Apostolici muneris partes*, sub num. 6.

Prima quidem patet, ibi: *quòd si idem Sacerdos, aut quovis modo, sese nulla gravi necessitate compulsus ingesserit, aut ubi Infamiæ, vel Scandali periculum timetur, si alterius Sacerdotis opera requirenda sit, ipse ad id periculum avertendum congrua media adhibere de industria neglexerit, atque*

que ita perſonæ in dicto crimine Complicis, eoque in articulo, ut præfertur, conſtitutæ, Sacramentalem confeſſionem excipere, ab eoque crimine abſolutionem largiri, nulla, ſicut præmittitur, neceſſaria cauſa cogente, præſumpſerit, quamvis hujuſmodi Abſolutio valida futura ſit, dummodò ex parte pœnitentis diſpoſitiones, â Chriſto Domino ad Sacramenti Pœnitentiæ valorem requiſitæ, non defuerint: non intendimus autem pro formidando mortis articulo eidem Sacerdoti, quantumvis indigno, neceſſariam Iuriſdictionem auferre, ne hac ipſa occaſione aliquis pereat.

Secunda verò pars conſtat ibi: *nihilominùs Sacerdos ipſe violatæ auſu ejuſmodi temerario legis pœnas nequaquam effugiet: ac propterea latam in dicta Conſtitutione Majorem Excommunicationem, eodemque planè modo, quo ibidem decernitur, nobis, & huic Sanctæ Sedi reſervatam, incurrat, prout illum eo ipſo incurrere declaramus.* Hæc Beatiſſimus Benedictus. Accedit ratio: *quia fraus, & dolus alicui patrocinari non debet*, ut habetur cap. *Sedes* 15. & cap. *Ex tenore* 16. *de Reſcript.* juncto cap. *Cùm univerſorum* 8. *de rerum permut.* Unde fraudes prædictæ nequeunt, patrocinari Confeſſario Complici, ut non incurrat prædictam Excommunicationem Majorem, Papæ reſervatam.

Corollarium.

SI Confeſſarius Complex, adhuc plùs audens, confingat periculum Infamiæ, aut Scandali, ſequendum ex vocatione alterius Sacerdotis: & huic ſuæ fictioni fidens, abſolvat ſuum moribundum Complicem: Abſolutio erit valida; ſed illicita: ac proin incurrit ipſo facto prædictam reſervatam Excommunicationem Majorem. Utrumque habetur in Textu Benedictini Decreti, ubi ſuprà. Pro valido Abſolutionis, ibi: *non intendimus autem, pro formidando mortis articulo, eidem Sacerdoti, quantumvis indigno, neceſſariam Iuriſdictionem auferre, ne hac ipſa occaſione aliquis pereat.* Pro illicito Abſolutionis, & incurſione pœnæ, ibi: *ſciat autem Complex ejuſmodi Sacerdos, & ſeriò animadvertat, fore ſe re ipſa*

ipsa coram Deo, qui irrideri non potest, reum gravis adversus prædictam nostram Constitutionem inobedientiæ, latisque in ea pœnis obnoxium, si prædictæ Infamiæ, aut scandali pericula sibi ultrò ipse confingat, ubi non sunt. Hæc habentur, ubi suprà, sub num. 5.

QUÆSTIO QUINTA:

quæ sint opportuna media, quæ Complex Confessarius tenetur adhibere, ut absque Infamia, & Scandalo accedat alius Sacerdos, pro absolvendo venereo Complice moribundo?

PRæsens quæstio, dum unum inquirit, supponit aliud. Supponit enim, & meritò: Confessarium Complicem graviter ex vi præsentis Benedictini Decreti teneri, ac obligari, ad adhibenda media opportuna, quibus removeantur pericula Infamiæ, & Scandali, quæ ex vocatione alterius Sacerdotis sequi timentur: ut his remotis periculis, possit accedere ille alius Sacerdos, ad absolvendum turpem illum Complicem, constitutum in articulo mortis. Quod quidem Præceptum expressè habetur in Constitutione Declarativa, quæ incipit: *Apostolici muneris partes*, sub num. 5. ibi: *imò intelligat, teneri se graviter, hujusmodi pericula, quantum in se erit, antevertere, vel removere, opportunis adhibitis mediis, unde fiat, ut alteri cuivis Sacerdoti locus pateat illius Confessionis, absque ullius Infamia, vel Scandalo, audiendæ.*

Ut autem quæstioni fiat satis, practicè procedamus sic. Parochus quidam rem habuit turpem cum quadam fœmina Parochiana illius. Parochus autem, cùm ibi nullus alius detur Sacerdos, apud se prudenter considerans, ne fortè fœmina, etsi nunc valens, posteà graviter infirmetur, ad mortisque articulum perducatur, ac proin ipse ad illam absolvendam vocari teneatur: quid faciat, cogitat. Respondet Pater Magister, & Doctor Diaz in suo Confessario instructo, punct. 8. num. 62. quòd Parochus, sumpto honesto motivo recreationis, adducat in domum

suam

ſuam aliquem Confeſſarium: quo accedente, moneat ipſe fœminam Complicem, ut Conſcientiam cum illo hoſpite Confeſſario purificet. Hoc eſt unum ex opportunis mediis, á Beatiſſimo Patre Benedicto præceptis Confeſſario Complici.

Aliter Caſus. Contigit, quòd altera fœmina, poſt habitam turpitudinem cum proprio Parocho, incideret in mortis articulum. Vocatur Parochus, ut illius pro Viatico recipiendo audiat Sacramentalem Confeſſionem: quid faciat Parochus? Ante reſolutionem inquiro: vel hic Parochus ita adeſt ſolus in illo loco, ut nullus alius Sacerdos de facili poſſit vocari; vel adeſt alius Sacerdos, aut ſaltem de facili poteſt vocari? Si primum: accedat Parochus, Confeſſionem excipiat, & abſolvat fœminam. Ita Pater Magiſter, & Doctor Diaz, ubi ſuprà, num. 63. juncto Patre Fr. Antonio á SSmo. Sacramento in Additionibus ad tom. 7. Curſus Salmantini Moralis, cap. 6. punct. 4. §. 2. num. 256. conſtatque ex Conſtitutione Declarativa: *Apoſtolici Muneris partes.*

Si ſecundum: nequit Parochus accedere; ſed locum parare debet alteri Sacerdoti, ut accedat, Confeſſionem excipiat, & abſolvat. Quod quidem, ut abſque Infamia, vel Scandalo fiat, reſpondeat Parochus, dum vocatur: *ego pro nunc accedere non poſſum, quia occupatus nimis: in hoc loco alius adeſt Sacerdos, vocate illum.* Sic Authores Carmelitæ citati ſuprà. Ego autem addo, quòd poteſt Parochus, dum vocatur, reſpondere ſic: *ego ex experientia ſcio, Parochianos, præcipuè fœminas, nimis erubeſcere Confeſſionem dicere proprio Parocho: Confeſſarius adeſt in hoc loco, cui libentiùs confitebitur fœmina, vocate illum.*

Caſus aliter. Simul per accidens exiſtentibus in eadem fœminæ domo, Parocho, & alio Sacerdote: ipſa fœmina, conſtituta in articulo mortis, palám profitetur, ſe velle confiteri cum quolibet illorum: quid ad hæc Parochus Complex? Rmus. Diaz nec pulſat præſentem difficultatem. Illam autem agunt Rmus. á SSmo. Sacramento, ubi ſuprà, num. 257. & Doctor Azedo in ſuo Opuſculo Theologico, num. 42. ut refert laudatus Pater. Cum his Authoribus pro reſolutione inquiro: vel ille alius Sacerdos eſt approbatus, ad audiendas Confeſſiones;

vel eſt Sacerdos Simplex? Si eſt Sacerdos approbatus: tunc Parochus Complex, ut illi Sacerdoti det locum ad audiendam Confeſſionem, quin ſequatur Infamia, aut Scandalum, prætextu Urbanitatis, dicat illi: *te, Domine, electo ab hac infirma, ego nequeo excipere Confeſſionem, eò quòd te Magiſtrum veneror.* In hoc inſiſtat Parochus, uſque dum vinctus ille Confeſſarius, Confeſſionem excipiat. Si autem ille alius Sacerdos eſt Sacerdos Simplex: hæc difficultas major. Doctor Azedo docet: quòd in hoc caſu vix, & rarò poteſt deficere periculum Infamiæ, aut Scandali. Econtrà Pater á SSmo. Sacramento validè contendit: nullum in hoc caſu ſequi periculum Infamiæ, aut Scandali.

Meo videri, fruſtrà in hoc agitando Caſu tempus deperditur: quippe duplex facile occurrit medium, ad hoc, ut abſque Infamia, & Scandalo, Sacerdos Simplex excipiat illam Confeſſionem, Parocho Complice obediente Summo Pontifici. Primum medium eſt: quòd coram circumſtantibus dicat Parochus Sacerdoti Simplici, ſic: ex Concilio Tridentino, Seſſ. 14. cap. 7. quicumque Simplex Sacerdos habet Iuriſdictionem, ad plenè abſolvendum quemcumque, conſtitutum in articulo mortis, á quibuſcumque peccatis. Et juxta multorum Theologorum Sententiam, quam referunt Reiffenſtuel tom. Theologiæ Moralis, tract. 4. diſt. 4. quæſt. 3. num. 33. & Maſtrius tom. Theologiæ Moralis, diſp. 21. quæſt. 8. art. 1. num. 204. adhuc præſente proprio Parocho, poteſt ita abſolvere in tali mortis articulo Sacerdos Simplex. *His de cauſis, Domine, me libenter conſentiente, tu Confeſſionem excipias, & Abſolutionem conferas: ne fortè ex tua Abſolutione pendeat totum ſpirituale bonum hujus Animæ.*

Secundum medium eſt: quòd coram inſimùl ſtantibus dicat Parochus Sacerdoti Simplici: *ita in Chriſto ſemper ego dilexi hanc moribundam fœminam, ut præ dolore cordis, ob ejus imminentem mortem, omninò ſim mente turbatus, ac proin incapax ſuam ultimam excipiendi Confeſſionem. Tu, Domine, qui ex vi Tridentini Concilii ſufficientiſſimam habes Iuriſdictionem pro articulo mortis, me reputes moraliter abſentem, & hujus moribundæ fœminæ Confeſſionem excipias.*

Ca-

Casus alio modo. Ipsa moribunda fœmina Complex, coram alio Sacerdote, & circumstantibus, expressè eligit pro Ministro illius Confessionis prædictum suum Complicem Parochum: quid ad hæc Parochus? Accedat, & stans sólus cum illa, illi clarè dicat: *ne amplius instes, ego sum privatus Iurisdictione, ad te absolvendam, ab ipso Summo Pontifice, propter turpe peccatum, quod habes confitendum, in quo fuimus Complices: post meum ab hoc loco discessum, titulo alicujus agendi negotij, voca illum alium Sacerdotem, & illi confitere peccata tua.*

Corollaria.

PRimum: quòd circa articulum mortis Complicis, & ejus Confessionem faciendam, tria necessariò debet observare Confessarius Complex. Observet quidem: obedire, quantùm in se sit, Summo Pontifici, Christique in terris Vicario, illi prohibenti, absolvere Complicem turpem ejus, quando vocari, & accedere potest alius Sacerdos, quamvis Simplex. Observet etiam: quòd non est plùs timendum circa periculum Infamiæ, & Scandali, quàm rationabiliter timendum est. Observet denique: quòd cautè, & prudenter debet providere de opportunis mediis, ut absque Infamia, & Scandalo, accedat alius Sacerdos, etiam Simplex, ad excipiendam illam sui Complicis Confessionem.

Secundum Corollarium: quòd adhuc si timeatur, quòd ex Confessione facienda cum alio Sacerdote, hic Sacerdos veniat in cognitionem Confessarij Complicis: debet tamen iste Sacerdos, & non Confessarius Complex, excipere Confessionem moribundi Complicis. Ita Pater Magister, & Doctor Diaz in suo Confessario instructo, punct. 8. num. 72. Ratio: quia Infamia, quæ ex hoc capite potest sequi Confessario Complici, cùm sit sub Sigillo Confessionis, debet haberi pro levissima. At curare debet Pœnitens, quòd quantùm in se sit, celet Personam Confessarij Complicis, uti in Conscientia tenetur.

Tertium: quòd si Confessario Complice, incipiente audire Confessionem sui moribundi Complicis, eò quòd nullus

alius

alius fuiſſet inventus Sacerdos, per accidens accedat alius Sacerdos: tunc, quin obſtet præſentia hujus per accidens accedentis Sacerdotis, poteſt Confeſſarius Complex, valide, & licitè continare jam inceptam Confeſſionem, & Abſolutionem largiri. Ita laudatus Author Carmelita Diaz, ubi ſuprà, num. 65. Duplicem ibidem hic Author profert rationem: ego autem unicam produco; ſed, ni fallor, ex mente SSmi. Benedicti. Arguo ſic: ex vi Conſtitutionis Declarativæ, incipientis: *Apoſtolici muneris partes*, expreſſiſſimè habetur, quòd adhuc præſente alio Sacerdote in eodem loco, ſi vocari, & accedere non poſſit, abſque Infamia, aut Scandalo: tunc validè, & licitè poteſt Confeſſarius Complex, abſolvere ſuum moribundum Complicem; atqui Confeſſario Complice jam incipiente in prædicto caſu, excipere Confeſſionem ſui Complicis moribundi, & accedente, poſt inceptam Confeſſionem, alio Sacerdote: ſi tunc Confeſſarius Complex dimitteret illam Confeſſionem, ut locum cederet illi Sacerdoti, ſequeretur abſdubio Infamia, ac Scandalum: ergo.

Hactenùs labor iſte, hucuſque Opus hoc. Cedat utinam in gloriam Authoris Sacramentorum, Jeſu-Chriſti ſcilicet, Salvatoris, ac Servatoris noſtri. Cedat in reverentiam Sanctæ, ac Apoſtolicæ Petri Sedis. Cedat in honorem Venerabilis Sacramenti Pœnitentiæ. Cedat in utilitatem Sacerdotum noſtratum, in his Indiarum Partibus commorantium.

O. S. C. S. M. E. C. A. R.

9.

El de la Euchariſtia nos lo
dió el celebrado Pulcharelli.

Regius hoſpes adeſt.

82-92

SONETO.

AQui, donde à las luces de tu Oriente
Les hace ocaſo eſta Laguna fria,
A gloria de tu nombre diſcurria,
AMALIA, con cien alas diligente.
Aqui me hallaba, quando de repente
No sè que triſte voz me parecia,
Que en lo interior del alma me decia
Muriò la Emperatriz, del Occidente.
Què haria tu Fama? Qué? Deſatinada
Plegue las alas, y detuve el vuelo,
De mi pereza ſuma avergonzada.
Yo te di à conocer en eſte ſuelo.
Si; peroqué e hicen eſſo? Poco,
ò nada.
Lo mas hiciſte Tù, volando al Cielo.

Reco-

BA76.2
H63.F